A Xerxes gravia minantem reliquit, his verbis: Nondum, Domine, interemiſti. Interea Ameſtris accitis carnificibus uxorem Maſiſtæ excarnificat, mammillas præcidit, eaſque canibus objicit; præcidit nares, aures, labra, linguam, atque ita excarnificatam remittit domum. Maſiſtes, ubi mutilatam uxorem vidit, inito cum liberis conſilio, abiit Bactra, provinciam Bactrianam cum Sacis ad defectionem inducturus. Etenim præſes erat Bactriorum, & à provincialibus diligebatur. Sed Xerxes miſſis copiis, & ipſum, & liberos, & copias in itinere trucidavit. *Herodot. lib.9.*

Demetrius minor Antigoni F. Macedoniæ Rex, Ptolemęi Ægyptiorum Regis filiam Berenicen uxorem duxerat. Ptolemæo mortuo, in Arſinoen ſocrum converſus, cum ea ſtuprum haud multò poſt fecit. Longa deinde conſuetudine mulieri adductus, omnium in ſe odia convertit. Milites inceſtum deteſtati, in Ptolemæi filium favorem convertunt. Poſtremò eò proceſſit militare odium, ut in Arſinoes complexu ſit Demetrius à militibus confoſſus, à Berenice uxore, ut creditur, immiſſis. Audita certè eſt vox ejus præcipientis uti matri parceretur: itaque ita illa domeſticum ſtuprum B ulta dicitur incolumi pietate, & in matrimonio ſortiendo ſecuta patris judicium, Magno Cyrenarum Regis F. ſuo patrueli nupſit. *Sab. lib.9. Enn.4.*

Emanuel Regis Colchorum (qui & Trapezuntis Imp.) filiam viduam duxit, quæ fuerat Zetinis Turcorum cujuſdam ducis uxor, forma ſupra modum venuſta. Quam cùm Byzantium è Colchide adduxiſſet, videns eam pater Joannes Græcorum Imp. forma præditam excellenti, necnon aliis excellere, quæ in muliere dicuntur bona, non dubitavit eam auferre filio, ſibique connubio jungere, licèt ita addictus eſſet podagra, ut ne quidem erectus ſtare poſſet. *Chalcoc. lib.2.*

Henricus II. Anglorum Rex, Adelam Ludovici Gallorum Regis filiam, jampridem Richardo filio deſponſatam, quam ipſe penes ſe ad ſpem conjugii ſervabat, multorum verborum illecebris ad ſtuprum ſolicitavit, atque ejus, uti rumor erat, virginitatem violavit, & Ricardo filio, eam ſibi jam in matrimonium dari petenti, amator ſenex multa excuſando, multùmque procraſtinando, tradere negabat: ſtatuerat enim, facto cum Aleonora divortio, eam uxorem C ducere, atque illa affinitate cum Gallo fretus, ſi ex Adela liberos ſuſciperet, filios ex Aleonora genitos abdicare. At Ricardus patri ſupramodum iratus, ad Philippum Francor. Regem Adelæ fratrem ſe contulit, quem non multò poſt Joannes frater ſecutus eſt, maximaque pars militum cum illis ad hoſtem defecit. Quæ res tantum doloris Henrico inuſſit, ut ſtatim poſt ex mœrore animi ægrotare cœperit, neque multò poſt mortem obierit. Tunc Ricardus facto cum Philippo Rege fœdere, loca, quæ pater dudum amiſerat, cuncta recepit, unà cum Adela. Quam tamen, ob ſuſpicionem violatæ virginitatis, non multò poſt repudiavit, ac cum dote, multiſque muneribus locupletatam domum remiſit. *Polyd. l.13. & 14. & L. Vives de Offic. mariti.*

Borsius Ferrariæ Princeps, mulierem à filio notho adamatam forma inſigni per vim compreſſit. Nec multò poſt Ciliola Franciſci Carrarienſis F. quæ Borſio nupſerat, amore privigni ardens, opera paraſiti, Borſii injuriam filio illatam hac ſola ratione vindicari poſſe cenſentis, ſibi conciliavit. Borſius ancillæ indicio deprehenſis inceſtuoſis, ſecuri ambos feriri juſſit. Anno MCCCC. *Chalcocond. lib.6.*

D

Soror cum Fratre.

Amnon F. Davidis, Thamar ſororem ſuam longè ſpecioſiſſimam, per vim, ſimulato morbo, conſtupravit. 2. *Reg.13.*

Jupiter, ut Junone virgine potiretur, in monte Thronace dicto, qui eſt in Peloponneſo, via quæ Helicen ducit, ſe in cuculum mutavit, quem puella tanquam ludicrum captavit. Hinc monti nomen datum, ut pro Thronace Coccyx diceretur, & in ejus vertice Coccygii Jovis templum, in altero Junonis dedicatum. Quinetiam propè Mycenas in Junonis fano Deæ ſignum Polycletus fecit ex ebore, altera manu punicum malum, altera ſceptrum, cui cuculus avis inſidet, tenentis. *Pauſanias in Corinth.*

Cererem Saturni & Opis filiam, ſororemque Plutonis & Jovis & Junonis fuiſſe, memoriæ prodidit Heſiodus in Theogonia. Jupiter eam cõpreſſit. Nata eſt inde Proſerpina. Cùm Neptunus etiam alter è fratribus eandem compreſſiſſet, filiam ſuſcepit, quam nefas erat apud Græcos nominare: quam tamen ipſam & Cererem, & Heram quidam appellarunt, ut ſcriptum reliquit Pauſanias in Arcadicis. Fuerunt tamen, qui non Heram, ſed equum è Cerere natum dixerint: quare fa- E bulati ſunt, quòd Ceres ob equum à ſe genitum, partim ob iram in Neptunum, partim ob pudorem, nigras veſtes ſumpſerit eo tempore, atque lucem Deorumque conſpectum fugiens, ſe in ſpeciem obſcuriſſimam abdiderit. Deinde cùm omnes terræ fructus corrumperentur, peſtiſque paſſim homines, & animalia conficeret, diis omnibus Cereris latebras ignorantibus, Pan, cùm per Arcadiam venando vagaretur, illam vidit, ac Jovi indicavit. Illic à Parcis placata eſt. *Natalis Comes lib.5. cap.14.*

Fabulantur Poetæ, Nereum maris Deum jacuiſſe cum Doride ſorore, & ex ea ſuſcepiſſe Nymphas, quas Nereides vocant. *Raviſius.*

Dimœtas ambiit Trœzenis fratris filiam Evopin. Quum autem perciperet, ipſam cum fratre rem habere, indicavit id Trœzeni. Illa ob timorem, & pudorem ſeipſam ſuſpendit: multa mala prius imprecata ei, qui hujus calamitatis ſibi cauſa fuiſſet. Nec multo poſt tempore Dimœtes in mulierculam quandam incidit ſpecie valdè pulchram, à marinis fluctibus ejectam, atque cum ea cupidè penitùs congreſſus eſt. Cujus corpus quum ob longum ſitum marceſceret, ingentem ei tu- F mulum extruxit: atque quum ne ſic quidem remitteret dolor, inſuper ſeipſum mactavit. *Parthenius de Amat. cap.31. ex Philarcho.*

Leucippus Xanthii filius, genus à Bellerophonte ducens, omnes ſui temporis robore longè ſuperabat. Ille ex indignatione Veneris in amorem incidit ſororis ſuæ, matri ſupplicans ne ſe contemneret pereuntem. Ea puellam condormire fecit fratri. Sponſus puellæ re cognita, parente ſuo adſumpto unà cum quibuſdam aliis amicis, adiit Xanthium, ac factum ei indicat, nomen tamen non revelat Leucippi. Xanthius diligentiam adhibebat, ut filiæ corruptorem deprehenderet. Cumque ad thalamum perductus eſſet, ubi concumbebant, puella exiliit per fores, ſpe latendi ingredientes. At pater ipſam opinatus corruptorem eſſe, machæra tranſverberavit. Leucippus præ mentis turbatione non prævidens, quem peteret, occidit parentem. Ob eam cauſam relicta Theſſalis domo, in Cretam abiit. Inde ab incolis expulſus, in Epheſiam pervenit, ubi regionem occupavit nomine Cretinæam. Captus autem eſt & ipſe poſtea ex vaticinio, ab his qui miſſi erant ex Pheris ab Admero. *Idem* G *cap.5.*

Hypermeneſtra concubitum fratris (quem deperibat) nocturno tempore aſſequuta eſt. *Ovid. in Ibin:*

Quæcumque ſui venerem junxit cum fratre mariti
Locris in ancilla diſſimulata necem.

Biblis, Mileti & Eidotæ, vel Cyanes Carum Regis F. multis procis ſpretis, infando amore Caunum fratrem deperire cœpit. Cùm in dies urgeret malus genius, noctu ad proximum digreſſa montem, ſeſe præcipitare voluit. At Nymphæ miſertæ eam detinuerunt, multoque incuſſo ſomno, de mortali immortalem fecerunt, Biblidem Nympham Hamadryadem nominantes, inque ſuum ſodalitium, & contubernium adſciverunt. Liquor qui è ſaxo illo deſtillat, ab incolis appellatur lacryma Bibliadis *Anton. Liberal. ex lib.2. Alterationum Nicandri. Ovid. lib.9. Metamorph.* Caunum adamatum à ſorore ad inceſtum uſque narrat, cujus pœnitentia poſteà ſe interfecerit illa. Alii ante congreſſum ſolum vertiſſe ajunt, & ad Lelegas penetraſſe, ibique ex ſuo nomine Caunon urbem ædificaſſe: Biblidem baltheo ſeſe è quercu ſuſpendiſſe, ex cujus lachrymis fons Biblidos H nomine ſcaturierit. *Parthen. in Erot. cap.11.* Hinc Caunius amor de amore fœdo dicebatur, aut ubi quis ea deſideraret, quæ neque fas eſſet concupiſcere, neque liceret aſſequi. *Eraſm. in Adag.*

Macareus Æoli Chuſcorum regis filius, amore ſororis captus, eam violavit. Pater re cognita, filiæ mittit enſem, quo accepto necem ſibi conſcivit: idemque paulò poſt Macareus fecit. *Soſtrat. lib.2. rer. Thuſcanic. ut Plut. cap.52. Parall.* refert.

Apud Sabæos Regis filia eleganti erat forma, quindecimque illi fratres, quorum ſinguli unius amore miſerè deperibant. Quum unus poſt alium ad eam irrequieto acceſſu vétitarent, nec puella una par eſſet tot robuſtiſſimorum juvenum concubitibus, rem novam commenta dicitur: baculos comparat occultè fraternis ſimillimos: inde quum eorum unus ab ſe exierat, priuſquam alius adeſſet, virgam ante fores ſtatuebat, ac paulò poſt aliã, nova inſuper arte adhibita, ne hanc ſtatueret, quæ ſimilis eſſet huic, quam is geſtaret, cujus adventum expectabat. Accidit tamẽ aliquando, ut eorum unus

A cæteros fratres in foro conſpicatus ad eam contenderit. Qui domeſticum inſigne ante fores intuitus, fraudem ineſſe ratus, adulterumque à ſorore eo prætextu admiſſum, in forum ad patrem devolat, filiam in adulteri complexibus eſſe, trepidè nunciat: ſe rem ex eo compertam habere, quòd quum omnes in foro fratres eſſent, ſororis tamen foribus baculus hæreret, tanquam fratrum unus ad eam eſſet ingreſſus. Occurrit eò pater iratum plenus, ſcelus continuò vindicaturus. Verùm nemine apud filiam reperto, poſteaquam puellæ commentum audivit, tantum abfuit, ut in filiam ob eam cauſam acerbius quicquam ſtatuerit, ut laudata ſuper ea re illius induſtria, indolem ſit in ea identidem oſculatus. *Sab. lib.3. Enn.1.*

Cùm antehac Perſæ ſorores in matrimonium accipere nequaquam conſueviſſent, Cambyſes Rex minoris natu ſororum amore captus, cupiduſque deinde ducendi illam uxorem, ne propter rei inſolentiam malè audiret, accerſit eos, qui regii judices nominantur. Fiunt autem delecti ex Perſis viri: ſuntque perpetui, niſi delicti alicujus comperti fuerint. Iſti apud Perſas jus dicunt, & legum patriarum ſunt B interpretes, & ad eas omnia referuntur. Hos Cambyſes percontatur, num qua lex ſit, quæ ſinat volentem cum ſorore contrahere matrimonium? Judices negant ullam ſe invenire legem, quæ ſinat fratri nubere ſororem: quandam tamen inveniri legem, qua liceat Regi Perſarum facere, quidquid libeat. Ita neque legem abrogarunt, metu Cambyſis, & ne legem tuentes ipſi perirent, aliam invenerunt, adjutricem ejus qui ſororem in matrimonium ducere velit. Tum itaque Cambyſes eam accepit uxorem. Aliquantò poſt & alteram, natu majorem, Atoſſam nomine. *Herod. lib.3.*

Darius Statyram, iiſdem genitam parentibus, connubio ſibi ipſi junxit. *Alex. l.1. c.24.*

Olympias Pyrrhi Epirotarum Regis filia, fratris conjugio potita eſt. *Idem.*

Ptolemæus Ægypti Rex, ut ſororis ſuæ, quam ardentiſſimo amore deperibat, conjugium ſortiretur, paſſim fratrum, & ſororum matrimonia permiſit. *Alex. lib.1. c.24.* Evergetes Berenicen, Philadelphus Arſinoen ſororem duxit. At qua fronte Theocritus Eidyllio 17. Ptolemæi inceſtum laudare potuit?

C Cleopatra à fratre, quem pro marito habebat, polluta eſt. Unde *Lucan. l.10.*

Miſcuit inceſtam ducibus Ptolemaida noſtris.

Cimonis Miltiadis F. adoleſcentia famoſa fuit, quaſi ſorori ſuæ Elpenicæ illuderet. Siquidem referunt, nec aliàs omninò fuiſſe Elpenicen pudicam, ſed & pictori ſe Polygnoto ſubjeciſſe. Sunt, qui Elpenicen non clàm cum Cimone, ſed apertè ferant, contractis nuptiis, ut uxorem habitaſſe, quòd ſponſum pro generis dignitate non inveniret ob inopiam. Ubi verò Callias, qui Athenis inter locupletes erat, ejus amore captus, obtulit patris ejus mulctam diſſolvere, illam accepiſſe conditionem, ac Cimonem Galliæ Elpenicen deſpondiſſe. *Plut. in Cimone.* Neque verò ſororum conjugia Græcorum legibus permiſſa fuere, teſte *Plut. in Artemidoro lib.5. Onirocrit.* Fallitur ergo Æmilius Probus, qui Cimoni id turpe fuiſſe negat apud *Cæl. lib.18. cap.18. Antiq. Lect.*

Tuſcorum Rex Æolus habuit ex Amphithea filias ſex, totidemque ſtirpis virilis. Quorum Macareus natu minimus ex amore ſtuprum intulit uni, quæ partum concepit. Unde D detecta, cùm pater ei gladium miſiſſet, damnavit ſeipſam ſceleris, ac ſibimet ipſa mortem intulit. Idem fecit Macareus, ut *Soſtratus* ſcribit *lib.2. de rebus Tuſcorum. Plutarch. in Græcor. & Rom. comparat.*

Papyrius Volucer, qui in matrimonio Juliam Pulchram habebat, ſuſtulit ex ea filias ſex, & totidem filios. Horum ætate Maximus Papyrius Rom. ſororem Canuliam, cujus amore flagrabat, gravidam fecit. Id ubi reſcivit pater, enſem filiæ miſit, quæ ſemetipſam morte affecit. Quam imitatus eſt Romanus. *Ita Soſtrat. l.2. rer. Ital. Idem.*

P. Clodius frater Clodiæ uxoris Luculli, cum laſciviſſima muliere ſtupri conſuetudinem habuit. Itaque Lucullus Clodiam repudiavit. *Plut. in Lucullo.*

C. Cæs. Caligula cum omnibus ſororibus ſuis ſtupri conſuetudinem fecit: plenoque convivio ſingulas infra ſe viciſſim collocabat, uxore ſuprà cubante. Ex his Druſillam vitiaſſe virginem prætextatus adhuc creditur: atque etiam in concubitu ejus quondam deprehenſus ab avia Antonia, apud quam ſimul educabatur. Mox Lucio Caſſio Lotgino conſulari collocatam abduxit, & in modum juſtæ uxoris propalàm habuit. Hæredem quoque bonorum atque Impe- E rii æger inſtituit. Eadem defuncta, juſtitium induxit: in quo riſiſſe, latuiſſe, cœnaſſe cum parentibus, aut conjuge, liberiſve, capitale fuit. Ac mœroris impatiens, cum repentè noctuque profugiſſet ab urbe, tranſcuriſſetque Campaniam, Syracuſas petiit, rurſuſque inde properè rediit, barba capilloque promiſſo. Nec unquam poſtea, quantiſcumque de rebus, ne pro concione quidem populi, aut apud milites, niſi per nomen Druſillæ dejeravit. Reliquas ſorores, nec cupiditate tanta, nec dignatione dilexit, ut quas ſæpè exoletis ſuis proſtraverit. Quò faciliùs eas in cauſa Æmilii Lepidi condemnavit, quaſi adulteras, & inſidiarum adverſus ſe conſcias. Nec ſolùm chirographa omnium requiſita fraude ac ſtupro divulgavit, ſed & tres gladios in necem ſuam præparatos Marti ultori, addito elogio, conſecravit. *Sueton.*

M. Antonius Imp. conſuetudinem veneris habuiſſe dicitur cum Fauſtina ſorore, ex qua & Lucillam genuit, quam D. Antonino fratri copulavit.

Commodus Imperator ſorores conſtupravit, ſuaſque concubinas videns ac volens ab amicis conſtuprari paſſus eſt. F *Lampridius.*

Martial. ſcribens ad *Fabullum lib.12.* arguit Themiſonem quendam inceſtus cum ſorore, ubi ait:

Quare non habeat, Fabulle, quæris.
Vxorem Themiſon? Habet ſororem.

Maximianus Herculeus Imp. ardens libidine, cum duabus ſororibus rem habuiſſe creditur. *Cuſp.*

Joannes Comes Armeniacus (Pontanus de Obedo vocat Ariminenſem) falſo diplomate Pontificio edito, ut jus ſibi faſque eſſet ſororem germanam in matrimonium ducere, eam ſibi inceſto thoro junxit: ptopterea aqua ignique interdictum. Eum Ludov. XI. Gallorum Rex acie victum, fortunis vitaque exuit. *Æmil. l.10. & Fulg. l.9. c.1.*

In Britanniæ inſulæ parte, quæ recentiore nomine Scotia appellatur, Jacobus Rex, ejus gentis appellatione Genis dictus, publicè quidem matrimonia non contraxit cum duabus ſororibus, maritalia tamen jura cum eis exercuit. *Fulg. & Egnat. lib.9. cap.1.*

Cum Nepotibus, Neptibus, Patruis, Avunculis, Patruelibus, Conſobrinis, quibuslibet denique Cognatis, Conſanguineis. G

Mæon Cumanus, cùm tutor eſſet Critheidis à patre Atelle fratre ſuo conſtitutus, vitium virgini obtulit, & inde tegendi ſceleris gratia, Phemio ludimagiſtro Smyrnæo puellam gravidam obtruſit, quæ non multò poſt Homerum divinum Poetam ad Meletem fluvium peperit; unde Meleſigenes primùm, inde propter amiſſum viſum Homerus fuit dictus. *Plutarch. in ejus vita.*

Xerxes poſt fugam è Græcia, data filio ſuo Dario in uxorem Artaynta Maſiſtis fratris ſui filia, ut commodiùs potiretur uxore Maſiſtis quam adamabat, ubi uxorem Dario domum duxit, adamata nuru, ab uxoris Maſiſtis amore ceſſavit. Qui inceſtus per amiculum, quod ab Ameſtri uxore dono acceptum, Artayntæ petenti dono dederat, patefactus eſt. *Herod. lib.9.*

Amulius Rex Albanus, Rheæ Sylviæ nepti, Veſtali virgini in Martis luco ſtuprum offert, ex quo gemelli Romulus & Remus orti ſunt. *Sab. lib.2. Enn.2. ex Livio, & Strabo lib.5.* H

Superduxit Claudius Imp. Meſſalinæ Agrippinam Germanici fratris ſui filiam, nec ceſſavit omni oratione filiam, & alumnam, & in gremio ſuo natam atque educatam prædicare. *Suet.* Hanc à ſe inceſtatam, ſuis ad ſtuprum exoletis ſubjeciſſe fertur, mox verò ut inſidiarum adverſus ſe conſciam relegavit. Nupſerat Agrippina primò Domitio Neroni, ex quo Neronem, qui poſt Claudium imperavit, enixa eſt. Auditam ferunt ejus viri vocem, qui nunciato uxoris puerperio, nihil ex ſe & Agrippina, niſi infelix, & perniciosum gigni potuiſſe, teſtatus eſt. Sed in Claudio tanta fuit væcordia, ut quum contra patrium morem fratris ſui filiam matrimonio ſibi jungeret, deque ea re pro concione ageret: illam identidem filiam appellaverit, ſuo gremio natam prædicans, atque à ſe educatam. Ejus illecebris captus Neronem privignum adoptavit, quum Britannicum haberet ex Meſſalina genitum, & jam adoleſcere incipientem, cui deteſtabili facto adjecit & ſtolidum dictum, Neminem unquam per adoptionem Claudiæ fuiſſe genti inſertum. *Sab. l.2. En.7.*

Domi-

Domitianus Imp. Juliam Titi fratris filiam adhuc virginem, oblatam in matrimonium ſibi, cùm devictus Domitiæ nuptiis pertinaciſſimè recuſaſſet, non multò poſt alii collocatam ultrò corrupit, & quidem vivo etiam tum Tito. Mox patre ac viro orbatam, ardentiſſimè palamque dilexit: ut etiam cauſa mortis extiterit, coactè conceptum à ſe abigere. *Suet.* Hinc *Iuvenal.*

Quum tot abortivis fœcundam Iulia vulvam
Solveret, & patruo ſimiles effunderet offas.

Aufilena quædam proſcinditur à Catullo, quòd è patruo genuiſſet liberos:

Aufilena, viro contentam vivere ſolo
Nuptarum laus eſt laudibus eximiis.
Sed cuivis quamvis potiùs ſuccumbere fas eſt,
Quam matrem fratres efficere ex patruo.

Heraclius Imp. poſt obitum primæ uxoris Fabiæ Eudociæ, alteram duxit, Martinam filiam fratris, ex qua genuit Heraclonam & Davidem, lata lege, ut idem omnibus liceret. Sed graves poſtmodùm pœnas dedit. Hydropicus enim obiit, & priapiſmo tam crudeli vexatus eſt, ut quoties mejeret, ne vultum lotio conſpergeret, tabula umbilico admoveretur. Martina quoque paulò poſt exacta ligna cum filio Heraclona (cui facies mutilata fuit) in exilium relegata eſt, quia Conſtantinum Heraclii filium ſpe imperii veneno ſuſtuliſſet. *Cuſp. in Heraclio.*

Cùm Baſiliſcus Imp. Harmato ut cognato liberum aditum ad Zenonidem uxorem permitteret: cùm diutiùs conſuetudo duraret, amboque forma inſigni eſſent, deperire inter ſe cœperunt. Cùm verò animos ſuos Danieli Eunucho, & Mariæ obſtetrici aperuiſſent: vix iis medicati ſunt lenocinio. Tandem Onoulus quidam Barbarus Zenonidis juſſu eum interfecit, quem ipſe Comitem fecerat, deinde præfectum Illyriorum, & ad convivia multo argento inſtruxerat. *Suidas.*

Andronicus Comnenus, qui necato Alexio Porphyrogenito, Emanuelis Comneni F. imperium arripuit, ob inceſtum cum Theodora Emanuelis Imp. patruelis ſui filia carceri mancipatus, reconciliatus inde Imp. reique præfectus bellicæ, cùm Philippam Antiocheni principis filiam, cujus ſororem conjugem habebat Emanuel, in ſui amorem pellexiſſet, Imperatoris odium denuò incurrit, & ut inſidias evitaret, Hieroſolymam venit. Sed cùm Ægyptio bello Rex Hieroſolymorum occuparetur, & Andronicus ſuo comitatu hoſtibus Palæſtinæ terrorem incuſſiſſet, eum rex domum reverſus Berythenſi donavit urbe. Sed poſt Theodoram Balduini Franci, qui toti Palæſtinæ nuper imperarat, viduam, Iſaacii Sebaſtocratoris filiam inceſtavit, eaque ex Anconenſi urbe, quam ex mariti donatione tenebat, abducta, ad Sultanum ſe contulit. Perpetrata Alexii nece, Alexii nuptam, undecim annorum puellam, quæ Francor. Regis filia erat, inceſtuoſis nuptiis ſibi adjunxit. *Tyrius l.20.c.2. de bello ſacro. Nicetas lib.4. de geſtis Manuelis.*

Andronicus Comnenus, Imp. patruelis (nam eodem patre Alexio, Joannes Manuelis, & Andronici pater Iſaacius Sebaſtocrator, nati erant) Eudociæ viduæ (quæ & ipſa fratrem Manuelis Imp. Andronicum patrem habebat) nefaria conſuetudine palàm utebatur. Quoties verò reprehendebatur, hànc defenſionem in promptu habebat: Solere ſubditos principum mores imitari, & aquam ex eodem fonte petitam, eundem ſaporem referre. Quibus verbis Imp. Manuelem perſtringebat, ut iiſdem aut etiam deterioribus affectibus obnoxium, qui cum fratris filia nepte ſua rem haberet, quum ipſe patruelis duntaxat complecteretur. *Nicetas Choniates lib.3.*

Theodericus Gallorum Rex, qui conſilio Brunechildis ſeſe ſanguine Theodeberti inquinarat proprii fratris, cùm pacatis rebus, neptem ex fratre occiſo reliquam in matrimonium ducere vellet, obſtitit Brunechildis, dictitans, inceſtum eſſe connubium, quod cum fratris filia contraheretur. Illud ægrè ferens Theodericus, cùm antea ſibi ab eadem perſuaſum eſſet, Theodebertum non ſuum germanum, ſed ex adulterino concubitu prognatum fuiſſe, cum impetu in eam irruit, gladio volens trajicere. Illa poſt veneno eum ſuſtulit. *Trithem. de regib. Francor. Robert. Guagn. lib.3.*

Eduinus Anglorum Rex dictus, eodem die conſanguineam ſuam, uxorem cujuſdam nobilis viri, invitam ſtupravit, idque fermè propalam, brutorum more, ſic ut fama ſceleris brevi per omnem Angliam pervaſerit. Cùm Dunſtanus, Abbas Glaſcovienſis, eum amicè reprehenderet, rex ſcelus ſcelere cumulando, illum protinùs ablegavit. Northumbri & Mercii Regis vitia horrentes defecerunt, Edgarumque fratrem regem renunciarunt. Ea res tantum Eduino inuſſit doloris, ut citò deinde perierit, poſt annum IV. quàm regnare cœperat. *Pol. l.6.*

Ricardus III. Anglorum Rex, Elizabetham Edovardi IV. F. neptem ſuam duxit. Sed puella inceſtum execrante, ille ab Henrico Richemond Comite in acie priùs cæſus eſt, quàm libidini ſuæ ſatisfaceret. *Idem l.25.*

* Henricus VIII. ejuſdem ut regni, ſic & libidinis hæres, Thomæ Boleni uxorem, dum is in Gallia eſſet, imprægnaverat, Annãque ex ea ſuſceperat. Quam tamen poſtmodum ita deperiit, ut eam in conjugem acciperet, tandemque adulterii convictam capite plecteret. Ferunt, Regem circa hæc tempora ab aulico quodam ſuo percontatum, Quale peccatum cenſeret, primùm cum matre, dein cum filia coire: atque hunc reſpondiſſe, Nihilo majus exiſtimandum, quàm ſi quis Gallinam, ejuſque pullum comederet. *Staph. in Flor. Calviniſt.*

Cum Mariti fratre, Vxoris ſorore, quibuslibet denique Affinibus.

Herodes Antipas, Magni F. tetrarcha, Romam iter faciens, divertit ad Herodem fratrem. Hujus uxoris Herodiadis amore captus, convenit inter eos, ut quamprimùm ille Roma reverteretur in patriam, mulier migraret in ejus domicilium. *Ioſeph. l.18. c.7. Antiq.*

Archelaus Herodis F. Judææ Rex, contempto more patrio, Glaphyram Archelai Regis filiam, olim Alexandri fratris ſui conjugem, & liberorum ex illo ſuſceptorum matrem, duxit: quamvis Judæi lege vetentur fratrum uxores ducere. *Ioſeph. lib.17. c.15.*

Thyestes Attei fratris uxorem conſtupravit, & ſtupri pretium ab ea tulit aurei velleris agnum. Quam ob cauſam ſepulchro Tyeſtæ aries è marmore impoſitus ſpectatur in Argivorum finibus. *Pauſ. in Corinth.*

Tereus Martis & Nymphæ Biſtonidis filius, Pandionis Athenarum Regis & Xeuxippes filiam Prognem uxorẽ duxit, cùm ipſe Thraciæ & Phocidi imperaret. Precibus Prognes impulſus, ad ſocerum Pandionem contendit, illumque rogavit, ut ſecum Philomelam ad viſendam ſororem mitteret. In itinere ad Parnaſſi urbem Daulidem, Philomelam vitiavit, & ne illa tam turpe facinus ſorori indicaret, linguam præcidit, mortuamque in itinere, ſorori Progne nunciavit. Philomela rem clàm per nuncios ſuo ſanguine ſcriptam ad ſororem miſit, vel potiùs, ut ſenſit Nicocrates, & *Ovid. l.6. Metamorph.* acu pictam ad illam clàm deferendam curavit. Progne filium Itym unicum coctum epulandum patri appoſuit, & cùm Tereus Itym vocaret, extremas corporis partes eidem oſtendit. Tereus ad ſtringendum enſem accurrit, ut cædem filii ulciſceretur. Deorum concilio Progne in luſciniam converſa eſt, ut celerior ad fugam efficeretur, Tereus in upupam, Philomela in hirundinem, Itys in phaſianum. Hæc in Thracia juxta Daulim oppidum contigerunt. *Strabo lib.9. Pauſ. in Phocicis. N. Comes lib.7. c.10.*

L. Tarquinius fratris Aruntis uxorem, eandemque uxoris defunctæ ſororem, duxit. *Sab. l.5. En.2.*

M. Crassus Romanorum ditiſſimus, uno è fratribus mortuo, illius uxori congreſſus eſt, & ex ea filios aliquot procreavit. *Auct. Plut.*

Constantinus Monomachus, mortua ſecunda uxore, & ducta Zoe vidua Michaelis Paphlagonis, ſimul etiam Habræ nepti ex fratre uxoris ſuæ convixit: primùm quidem clàm, poſtea verò palàm ſine rubore. Hæc enim cùm annis junior eſſet, formaque eximia, & genere illuſtri, utpotè de Sclerorũ proſapia, eum in exilium à Michaele Paphlagone ejectum ſecuta eſt, ſpe principatus, qui illi à quibuſdam vaticinabatur. Imperio ergo potitus, Zoen reginam precatur, ut hæc mulier Mitylenis revocetur. Quod non renuit regina, quæ ob ingraveſcentem ætatem decrepita, zelotypiam abjecerat, moderatior longa ætate, & experientia facta. Eam Conſtantinus poſito pudore ut conjugem deperibat, & in aula convictricem habebat, regina conſentiente. Sæpè inter ambas in medio prandebat Imperator, quandoque dominam, quandoque reginam vocabat. Nec Zoe Imperatorem adiit ſola, niſi eam abeſſe certò ſciret. *Cuſp. ex Zonara.*

Valdemarus Sveonum & Gothorum Rex, Jutham Danorum Regis F. Sophiæ uxoris ſuæ ſororem, conſtupravit, & prolem ex ea ſuſcepit. *Ioan. Magnus l.19. c.21.*

Philippus frater Alfonſi X. Hiſpan. Regis, Chriſtianam Daciæ Regis filiam, & fratris ſui uxorem, ſibi per vim copulavit. *Raviſius.*

* INCESTUOSI PUNIUNTUR.

Heraclius Imp. ob inceſtas cum ſua conſanguinea nuptias tali vindicta percuſſus fuit, ut urina, quam reddebat, faciem ejus inſiliret: itaque cum veſicam exoneraturus erat, ligneam tabulam inter exilientem urinam, & faciem ejus interponi neceſſe fuit, & præter alias corporis ægritudines magnoperè hydropiſi laboravit, & infelici exitu vitam clauſit, confectus ærumnis animi, corporiſque moleſtiis. Deo ergo maximè diſplicuerunt iſtiuſmodi nuptiæ quantumlibet Patriarchæ conſenſione ſuffultæ, quas adeò monſtroſa vindicta fuit proſecutus. *Cedr. Munſter in Cedreno.*

S. Paulus voluit 1. *Cor.5.* ut inceſtuoſus traderetur Satanæ, non modò ut à dæmone obſeſſus miſerabiliter cruciaretur, ſed etiam ut ſic traditus Satanæ à communicatione fidelium haberetur abſciſſus, & excommunicatus.

Cum in agrum quendam Perſicum quidam Philoſophi (gentiles, qui è Romano ſolo in Perſidem venerant) divertiſſent, hominis ejectum cadaver viderunt recèns mortui inhumatum illi hoc per ſervos elatum terra obruerunt. Noctu verò, his quieſcentibus, unus quidam eo ex comitatu obverſari ſibi ſpeciem vidit hominis ſenioris ſibique incogniti, alias tamen gravis, & venerandi, & qui philoſophiæ ſtudenti, ut pallio, ita & barba promiſſiore nihil eſſet abſimilis, ſibique perinde jubenbo monendoque hujuſmodi inclamaſſe: Noli inhumatum humare, permitte canibus lacerandum: Terra univerſorum mater matris corruptorem hominem non ſuſcepit. Tum illo quamprimùm præ formidine experrecto, repetunt omnes eundem agrum, nudum iteratò cadaver inveniunt in agri ſuperficie. Illi rei miraculo obſtupefacti iter perſequebantur, ac fatebantur pœnas luere Perſas pro impudico, & materno concubitu, eòque & inſepultos manere, & non injuria per canes dilacerari. Pluribus hanc hiſt. recenſet *Agathias.*

Grimoaldus dux, filius Theodonis ducis Bavariæ, copulavit ſibi poſt obitum fratris ſui Theobaldi viduam, & licèt coram S. Corbiniano egiſſet pœnitentiam, tamen cum non longiùs (ut par erat) à ſe fœminam illam (Pildrud vocabatur) Grimoaldus ablegaſſet, reverſus ad vomitum, ulciſcente Numine, in ſe ſuoſque Dei vindictam miſer expertus eſt. Siquidem illa nece ſubtrahere virum Dei (S. Corbin.) hauſtu veneni cum cogitaret, & opere explere curaret, defendente Domino, vir ſanctus periculum impendens evaſit, vindicta autem in domum ejus converſa eſt, quam his deſcribit Aribo: Filius Grimoaldi, quem neſando crimine machinis diaboli incantaverat, rebus exceſſit humanis, eoque mortuo, Grimoaldus ab inſidiatoribus interfectus eſt. Nimus qui necem Epiſcopo per venenum afferre voluit, probroſa morte vitam finivit; cum enim ventrem purgaret, lancea percuſſus interiit: ad ultimum verò Pildrud Carolum (Martellum) in Gallias ſequens, ab eo repudiata, omnem honorem, & gloriam perdidit, propriiſque exuta ſubſtantiis, noviſſimè nihil niſi unum aſellum ad ſubvectionem poſſidens, in Italia vitam finivit. Nati qui ex illius prodierant utero, cum multa tribulatione regno privati, vitalem amiſerunt flatum. *Baron. an. Ch.724. ex Aribone S. Corbiniani in Epiſcopatu Friſingenſi ſucceſſore. Pet. Damiani ep. ad Alexandrum Papam electum, & ad Heldebrandum an. Ch.* 1065. Quidam, ait, degener quidem moribus, ſed majorum titulis inſignitus, ſuam conſanguineam nuptiali fœdere copulavit. Quid plura? prohibitus perſtitit, excommunicatus adhæſit, totumque Eccleſiaſticæ cenſuræ vigorem nugarum puerilium fabulas deputavit. Cui hoc certè ad divinæ indignationis judicium contigit, ut panes de nuptialibus menſis in plateas antè canum ora projecti minimè tangerentur: inſuper (ò divinæ animadverſionis pavenda ſeveritas!) dum rigidus ſtat, dum præceptis ſacerdotalibus ſe non humiliat, qui vigilare ſibi ad ſalutem noluit, in cubiculo dormientem repentè de cœleſtibus irruens fulmen extinxit. Sic divini furoris expertus eſt moriendo ſententiam, qui vulneri ſuo, dum viveret, adhibere contempſerat medicinam.

ADULTERIA, ADULTERI.

☞ *Quære in Loco proprio de Adulterio.*

STUPRA VIRGINIBUS ILLATA.

Pudicitiæ Virginum insidiatores.

Qui Virgines conſtuprarunt, vel vi, vel volentes.

L. B. Theat. vit. Human. Tom. IV.

☞ *Exempla conſtupratarum Virginum ex legum inſtituto Apud Barbaras quaſdam gentes, pete ex Tit. Nuptiarum tempus.*

Dina Jacob patriarchæ F. unica, cùm ad ſpectandas Chananæas mulieres egreſſa eſſet, à Sichem Hemor Hevæi, Sichemitarum principis, F. rapta fuit & conſtuprata. *Gen.34.*

Scriptum reliquit Pindarus in Pythionicis, Cyrenen cum Apolline venari ſolitam diutiùs virginitatem ſervaſſe. At ubi cum leone fuiſſet aliquando colluctata, Apollo in ejus amorem incidit, illamque in Lybiam deportatam compreſſit, unde natus eſt Ariſtæus. Pherecides, data illi optione, ut quò vellet, ferretur, in Libyam portatam fuiſſe dicit: Agretas verò in Cretam. *N. Comes lib.5. c.19.*

Cùm Orion unà cum Diana venaretur, illi vim inferre conatus eſt. At dea irata ſcorpium è terra excitavit, qui illum interemit. Horat. lib.3. Carm. illum à Diana ſagitta ictum ſcribit. *N. Comes lib.8.*

Ledam cum Jove in cygnum verſo concubuiſſe inquiunt. Cùm Joves olim omnes reges dicerentur, & rex quidam Ledam non in mollibus ſtratis compreſſiſſet, ſed apud Euroram fluvium Lacedæmoniorum, cygnorum more, in locis humidis; locus datus eſt fabulæ, quòd Jupiter cygnus factus eam compreſſiſſet. *N. Comes lib.8. c.9.*

Danae Acriſii Argivorum regis filia, à patre in turrim incluſa, à Jove in ſpecie imbris aurei gravida facta, Perſeum peperit. *Ovid. in Metam.*

Thespius (aliis Theſtius) Athenienſis Erechthei filius, imperans ei, quæ ab ſe denominata eſt, regioni, ex multis fœminis filias genuit quinquaginta. Hercules puer adhuc, ſed robore præſtans corporis, cupiens ex eis prolem ſuſcipere, vocato ad ſacrificium patre, cùm opiparè illi epulas paraſſet, acceritis filiabus, ſingillatim (una nocte, teſte Pauſania) cognovit omnes, ex quibus geniti quinquaginta mares (ex maxima, & minima natu etiam gemini) omnes ejuſdem fermè ætatis, communi nomine Theſpiadæ dicti ſunt. Hos in coloniam Sardos miſit juxta oraculi reſponſum, præfecto claſſis Joſao nepote exercitui tradito, cui & Theſpiadum coloniæ deducendæ curam Hercules permiſit. Ex quinquaginta liberis duo Thebis manſere, quorum progenies in honore fuit ſeptem Theſpiis, quos Demuchos appellant. *Diodor. lib.14. cap.3.* Pauſanias omnes ab eo conſtupratas in Bœoticis tradit, una excepta. Eam, cùm obſequi recuſaſſet, ſacerdotem ſibi, perpetuæ virginitatis lege data, legit. Ea propter in templo Herculis apud Theſpienſes ſacerdos perpetua virginitate fruitur. Herodotus ſeptem diebus, non una nocte, filias Theſpiæ mulieres redditas ſcribit. Quod ipſum aliqui falsè pro tertio, & decimo labore Herculis ponunt, *ut in 4. Græcorum Epigram.*

Τὸ τρισκαιδέκατον τοῖον λυγρὸν ἔσχεν ἄεθλον,
Μουνονυχὶ πεντήκοντα ξυνελέξατο κούρας.

Tyro Salomonei filia à Neptuno compreſſa, *Propertius lib.1.*

Non ſic Æmonio Salmenida miſſus Enippo
Tænarius facili preſſit amore deus.

Chloris, ſeu Flora, dea florum, Zephyri vim paſſa eſt, à cujus nomine dicitur Zephyritis.

Diomedea, Phorbantis Lesbyorum regis filia, interfecto patre ab Achille abducta, & in numero Pallacarum habita. *Dictis, & Euſtatius Iliad. ι.* Unde Διομήδης ἀνὴρ Achilles dicitur *in Epigr. Græc.*

Quidam comes Ulyſſis, cùm virginem vi ſtupraſſet, à Temeſſenſibus oppidanis interemptus eſt. Cujus poſtmodùm manes, niſi placarentur quotannis oblata virgine, graſſabantur mirum in modum. Has Euthymus athleta compreſſit. *Pauſanias.*

Mileſius quidam, Locris clàm hoſpitis compreſſa filia, Heſiodi cædis occaſionem dedit. Puellæ enim fratres Heſiodum ſtupri conſcium arbitrari, eum inter paſcua cum puero occiderunt, & cadaver in mare projecerunt. *Svid. & Plut.*

Dionysius junior, quum in Locrenſium urbem veniſſet, erat autem mater ejus Doris genere Locrenſis, in domo ſerpillis roſiſque adornata, nudas virgines ejus loci conſtuprabat. Pulſo paulò pòſt in exilium tyranno, cives illius filios peremere, impactis ſub ungues acubus, oſſibuſque in mortario attritis. *Cælius ex Athenæi l.12. c.19.*

Perſæ Xerxis ductu in Græcia Phocenſium mulieres aliquot captas præ multitudine ſtuprantium extinxerunt. *Herodotus lib.8.*

A SATASPES Carthaginenſis Theaſpis F. ſtuprum intulit filiæ Zopyri. Eamque ob cauſam impoſitum ei fuit, ut Africam omnem pernavigaret, uſque ad Arabicum ſinum. *Idem lib.*4.

Lydorum emollita improbitas illuc progreſſa fertur, ut alienas uxores virgineſque in locum producentes, quem à re Agona vocarunt, omnes conſtuprarent. Unde tyrannidem aſſequuta Omphale, ſtupratarum una, illatas ulciſcens injurias, ſervis dominas proſtituit in loco eodem, quem, rei atrocitatem mollientes Lydi, γυναικῶν vocant ἀγῶνα, id eſt, mulierum certamen & γλυκὺν ἀγῶνα, id eſt, jucundam & dulcem luctam. *Cælius l.20.c.14. A.L. ex Athen.l.12.c.4.*

Promenſi Filius, qui Cephaleniæ regnum obtinuit, omnes virgines ante connubium cognovit. Antenor muliebribus veſtimentis amictus, ipſum in lecto trucidavit. Ob quam cauſam à populo ſummis honoribus ornatus, ac demùm in ducem electus eſt. *Heracl.in Polit.*

CIMON, ſtuprator Callirrhoes virginis hoc aſtu extitit. Apud Ilienſes mos erat patrius, ut quæ virgines eo anno nupturæ eſſent, ad Scamandrum fl. accederent, ibique lotæ hæc verba veluti ſacra, ſolennia, atque legitima, pronunciarent: Cape B ò Scamander meam tu virginitatem. Inter alias etiam ad fluvium venerat Callirrhoe, illuſtri orta familia. Cimon ſe clam aliis omnibus in fruticeto Scamandri occultaverat, caput arundinibus redimitus, ut fuco facto, deus eſſe videretur. Itaque cùm ex more Callirrhoe verba illa recitaſſet, hoc ornatu è frutricibus proſiliens Cimon reſpondiſſe fertur: En Scamander, accipio lubens, tibi Callirrhoe charus atque amantiſſimus, eoque dicto puellam rapuiſſe, & occultaſſe. *P. Ærodius ex Æſchine in Epiſtolis.*

Fama eſt, virginem Byzantinam illuſtribus ortam parentibus nomine Cleonicen, quam ſtupri cauſa accerſiverat Pauſanias Spartanorum rex, à parentibus fuiſſe neceſſitate, & metu ſubactis dimiſſam. Eam pro cubiculo precatam, ut lumen auferretur, cùm per tenebras ſilentio ad cubile pergeret ſopiti jam Pauſaniæ, incurriſſe invitam in lucernam, eamque evertiſſe. At illum ex ſtrepitu obturbatum, ſtricto pugione, qui propè jacebat, quaſi ab hoſte aliquo peteretur, percuſſiſſe ac proſtraviſſe puellam, quam ex vulnere mortuam, non permiſiſſe Pauſaniæ quietem, ſed ſpectrum noctu ſe offerens in ſomno hunc verſum cum indignatione ad illum protuliſſe:

C *Tu cole iuſtitiam, teque atque alios manet ultor.*

Quod factum ſocii cum Cimone Athenienſi iniquo animo ferentes, arctè obſederunt eum Byzantii. Elapſus tamen eſt, & viſo illo, uti fertur, exterritus, Heracleam confugit ad manium oraculum, evocataque Cleonices anima, offenſam deprecatus eſt. Illa in conſpectum Pauſaniæ venit, ac brevi eum illis malis oſtendit explicatum iri, ubi Spartam veniſſet, obſcurè imminentia ei fata deſignans. Nam Spartæ in Chalciœco fame periit, proditionis cum Perſis initæ reus. *Plut.in Cimone.*

PROCULUS Cæſar Albingaunus genere, ſua epiſtola teſtatus eſt, ſe centum virgines Sarmaticas bello captas quindecim dierum ſpatio ad unum omnes gravidas feciſſe, atque ex his decem nocte una. *Sabell l.11.c.12. Exemp.*

RODERICUS Gothorum rex, Juliani Comitis Septenſis in Aphrica pro ſe legati filiam Jacobam ſtupravit. Mox à Mauris à Juliano ſolicitatis bello petitus, in acie cecidit. *Ritius Neapol.2.reg.Hiſpan.*

ATHIRCO Scothorum rex, Natholici, viri nobilis in Argathelia, filias fœdè ſtupratas, ſtipatoribus deinde ſuis proſtituerat. Natholicus injuriæ impatiens, in regem conjurat. D Conjuratis juſto exercitu ad Euonium, ubi regia erat, tendentibus, plurimi ſe conjungunt. Rex abjectis inſignibus in Ilam, Hebridum unam, trajicere parabat. Ceterùm adverſo vento impeditus, & in continentem rejectus, ubi perſequutores adeſſe ſenſit, manum ſibi intulit, duodecimo regni anno. *H.Boeth.lib.6.*

Diva Thames (Themis aliis) Lothi Pictorum regis filia, vim à nobili adoleſcente paſſa (ſunt qui aſſerant, Eugenium Scotorum regem fuiſſe) Kentigernum edidit, qui primariam ſacri magiſtratus ſedem Glaſguu in Scotia tenuit. *H. Boeth. lib.9.*

GERARDUS Campiſamperius, Tiſconis magni F. Cæciliam Manfredi Baonii F. Acciolino Monacho Baſſani domino deſponſatam, de via raptam conſtupravit. Quod facinus, Acciolini tyrannidi in Patavinos occaſionem dediſſe videri poteſt. Cæcilia repudiata nupſit Jacobo Daleſmanino. Natam inde ſtirpem Acciolinus radicitùs poſteà extirpavit. *Bern. Scard. l.3.claſse 13.hiſt.Pat.*

Cùm Comes Paganus, qui Friderici I. Imper. Patavii vices agebat, Speronellam Daleſmaninam primariæ nobilitatis virginem, partim vi, partim dolo è domo paterna turpiter E ereptam, & in arcem Pendiſii tractam, pro ſcorto haberet, Daleſmaninus frater occultè egit cum ſuis, & cum Alberto Bronio, & cum vicinis civitatibus, ut unà omnes ab imperatore deſciſcerent, & uno eodemque tempore, unaquæque Reſpub. vicarios imperiales eiiceret. Paganus Patavio relicto Pendiſium aufugit, ubi à Patavinis obſeſſus, cùm careret alimentis, ſe dedit, vita ſibi tantùm donata. Sic Patavium in libertatem reſtitutum, conſules rurſus creare cœpit. *Bern. Scard.lib.3.hiſt.Pat.*

SOCINUS Viceſcarinus Laudenſium dominus, virginem plebeiam vitiarat. Ea propter à Petro Temacoldo puellæ propinquo, in carcere pedore fameque confectus eſt, quanquam ab eo Petrus à Molendinno ad honeſtam fortunam eſſet evectus. *Fulg.lib.6.c.*

FRAN. Philelphus Patavio profugus, Conſtantinopolim venit, & à Jo. Chryſolota equite ſuſceptus, ejus filiam unicam corrupit, quam pòſt interceſſione Italorum mercatorum uxorem duxit. *Poggius.*

F

STUPRA VIDUIS

ILLATA

C. JULIUS Cæſar, poſt victum Pompejum, Athenas etiam cepit, & rerum geſtarum gloria ſexcentos vicit imperatores. A fœda libidine tamen victus eſt, & qui hoſtes multos cepit, ipſe amore Cleopatræ victus eſt, quam in Ægypto amavit unicè. *Xiphilinus.*

STUPRA MATRONIS ILLATA,

SIVE

DOLO, PERSUASIONE.

ALCIBIADES Spartæ exul, regis Agidis uxorem Timæam in caſtris agentis, & abſentis ita pervertit, ex ſe ut uterum geſſerit, G neque id iret inficias. Quæ cum virilem ſtirpem ediſſet, foris appellabat eum Leotychidem, domi inſuſurratum auribus familiarium, & pediſſequarum à matre nomen, Alcibiadis erat. Ita iſta mulier ejus deperibat amore. Ille per inſolentiam jactabat, non contumeliæ cauſa ſe id feciſſe, nec libidine victum, ſed ut progenies apud Lacedæmonios regnaret ſua: Hæc ita agi multi detulerunt ad Agim, cui fecit potiſſimùm fidem tempus, quòd terræmotu exterritus fugiſſet ex thalamo ab uxore, nec decem menſibus poſt conſuetudinem cum ea habuiſſet; poſt quos natum noluit agnoſcere Leotychidem, quod in cauſa fuit, ut ab regno poſtmodum Leotychides decideret. *Plut.in Alcibiade & Ageſilao.*

ANTISTHENES philoſophus, conſpicatus aliquando mœchum fugientem, inſequentibus qui illum comprehenderent: Infelix, inquit, quantum periculum unico obolo vitare poteras? ſcorti ſcilicet congreſſu. *Laert.l.6.c.1.*

AUGUSTUM Cæſarem adulteria exercuiſſe, ne amici quidem negant, excuſantes ſanè, non libidine, ſed ratione commiſſa, quòd faciliùs conſilia adverſariorum per cujuſque mulieres exquireret. *Svet.*

H VECTIUS Valens medicus, adulterio Meſſalinæ Claudii Cæſaris nobilitatus. Eudemus medicus Livia Druſi Cæſaris. *Plin.lib.29.cap.1.*

AUFIDIUS matronarum famoſiſſimus corruptor apud Romanos. Sic *Iuven. Sat.9.* Notior Aufidio mœchus.

SVETON. Tranquillus Adriano fuit ab Epiſtolis, ex eoque ſtatu depulſus, quòd cum Imperatoris uxore familiariùs egiſſe ferebatur, quàm decus aulicæ conſuetudinis poſtularet. *Io. Bodin. Methodi hiſt.c.4.*

CLAUDIUS Felix, Judææ procurator ſub Claudio Imp. viſa Druſilla, Magni Agrippæ F. Azizi Emeſenorum regis circumciſi uxore, fœminarum omnium pulcherrima, per Simonem Judæum, genere Cyprium, Magum, mulierem ſollicitavit, ut relicto priore marito ſibi nuberet. Illa volens evadere moleſtationes ſororis Berenices, invidentis ſibi formæ præcellentiam, Felici nupſit. *Ioſeph.l.20.c.1.*

POPPEAM Sabinam à marito abductam Otho Sylvius, qui poſt imperavit, Neronis nomine, uti depoſitum accepit, uti commodato uſus eſt. *Svet.*

COM-

A COMMODUM plerique, non Marci, ſed Gladiatoris cujuſdam filium fuiſſe arbitrantur, cujus inſano amore Fauſtina Marci uxor deperierit, & huic rei atteſtari gladiatoriæ ſtudium ingens, quod Commodo inerat.

ALBOINUS Longobardorum rex, Gundamundum Gepidarum regem vicerat, & filiam illius Roſimundam duxerat. Cui cùm aliquando Veronæ è cranio Gundamundi patris propinaſſet, illa Helmichildem juvenem, in concubinum ſui pellectum, eò impulit, ut Alboinum interficiat. Quo facto, Ravennam cum eo fugit. Verùm juvene adultero ſatiata, Longini exarchi nuptias expetit, & Helmichildi è balneo egredienti venenum propinat. Ille hauſto veneno, eam quoque, ut reſiduum biberet, ſtricto gladio coegit. Sic uno eodemque tempore, & homicidii, & libidinis pœnas dedere. *Paul.Diaconus l.2.de Longobardis c.14. Antoninus tit.12.cap.6.*

VI.

Gabaenſes Levitæ uxorem peregrini ad mortem uſque conſtuprarunt. *Iud.19.& 20.*

B HEGESILOCHUS Rhodius tyrannus, cum amicis ſuis Rhodiorum matronas ſtupravit tanta licentia, ut vel talis invicem luderent de liberis mulieribus, differerentque inter talorum jactum, quam urbanarum victos ad victorem adducere oporteret ad coeundum. *Athenæus lib.10.cap.15. ex Theopompi hiſtor.lib.16.*

SEXT. Tarquinius libidine ardens, ex Caſtris Collatiam petiit, & domum Tarquinii Collatini irrumpens, Lucretiæ vim intulit. *Livius.*

VALENTIN. III. Imp. ſtuprata Maximi Conſulis uxore ſemetipſum perdidit. Siquidem Maximus ſcelere cognito Tranſtilam, & Octilam Ætii milites Valentiniano in campo Martio immiſit, à quibus interfectus eſt. *Bonfin.l.7. Dec.1.*

PANCRATIUS Iberiæ regulus, Liparitæ, magnæ inter Iberos potentiæ, uxorem ſtupravit. Is injuriæ atrocitate commotus, arma contra Pancratium ſumit, victumque prælio, ad Caucaſum & in interiorem Abaſgiam compellit. Ipſe regia occupata, dominam ſuam Pancratii matrem vi ſtuprat, totaque Iberia potitur. *Cedrenus.*

TENDESILLUS Hiſpanorum rex, cùm vim honeſtis matronis C intuliſſet, orta apud Hiſpaſim ſeditione, obtruncatus eſt. *Ritius Neapol. lib.1.reg.Hiſpan.*

EDMUNDUS filius Ethelredi, uxorem Sigfridi Dani captam formæ præſtantis mulierem, vi ſtupravit, & poſt necem viri matrimonio ſibi junxit. *Polyd.l.7.*

NICOLAUS Trincius Fulginatum dominus, præfecti uxori vim intulerat. Præfectus nocte proxima eum cum fratre dormientem in lecto confodit, populumque ad libertatem vocavit. *Fulg.lib.6.cap.1.*

BANCBANI Ungariæ præfecti uxor, à Gertrudis reginæ Ungariæ Fratre, qui eam conſolandi cauſa ex Germania venerat ipſius reginæ indulgentia conſtuprata fuit. Bancbanus venia uxori conceſſa, Gertrudim incautam gladio confodit. *Bonfin.lib.7. Dec.2.*

SCORTATIO. AMOR MERETRICUM

immodicus, inſanus. Scortatores.

D

SINGILLATIM.

SAMPSON Hebræorum judex fortiſſimus, cùm ſtupenda fortitudinis facinora contra Palæſtinos deſignaſſet, tandem amore Dalilæ meretricis Palæſtinæ correptus, ſuæ intemperantiæ pœnas luit, ab ea Paleſtinis proditus. *Iud.16.*

Κορινθιάζειν, veteres vulgato joco dicebant eos, qui ſcortationibus ac luſtris indulgerent, quive lenocinium exercerent; qui quæſtus hodie nuſquam uberior quàm apud Venetos. Sumptum eſt à meretricibus Corinthienſibus. Tantus enim honos habebatur apud Corinthios meretricibus, ut quemadmodum ex auctoribus docet Athenæus, ilic in templo Veneris proſtarent, atque in ſolemnibus precibus illud addi ſoleret, ut dii augerent meretricum numerum. Quin & illud refert, meretrices facto ſacro Veneri, civitatem extremo periculo laborantem ſervaſſe placata Venere. Proverbii meminit Stephanus de Urbibus, Ariſtophanis allegans Cocalum. *Eraſmus in Adagiis.*

E Indi impudicis, & proſtitutis mulieribus uti ſolent, dum volunt vacare genio. Itaque relictis domi uxoribus, illas ſibi adſciſcunt, non prolis, ſed voluptatis gratia. Uxores verò adhibent in rebus honeſtis tantùm, ubi ſcilicet aut proli vacant, aut prætter modum non laſciviunt, ne nimio luxu corrumpant quas eſſe pudicas volunt. Nec unquam permittunt, geniales illas & liberas voluptates eorum uxoribus exerceri, quæ aliquam pudicitiæ jacturam afferre poſſunt. *Ælian.*

HARPALUS Macedo, qui multam Alexandri pecuniam prædatus eſt, Athenaſque confugit, Pythionicam, quæ Bacchidis tibicinæ ancilla fuit, & læna primùm, mox ſcortum publicum, amavit, multaque in eam impendit, ac multa talenta in illius ſepulchrum abſumpſit, ut affirmat *Poſſidon. lib. Hiſt.22.* Poſt mortem illius, Glyceram ex Athenis accerſivit, quæ cùm veniſſet, in Tarſo Syriæ habitavit in regio palatio: multitudo ei genua flectebat, Reginamque appellabat, Harpalumque coronari non patiebatur, niſi coronaretur etiam Glycera. *Athen.lib.13.cap.19.& 21.*

DEMETRIUS Poliorcetes Aſiæ rex, cùm urbem Megaram obſideret, audita Crateſipolis apud Patras inſigni forma, omiſſa urbe Megara, exercituque ſine duce relicto, ad eam F abiit, parùmque abfuit, quin ab hoſtibus caperetur. Neque verò eo periculo factus prudentior, in Lamiæ tibicinis, Cleanoris Athenienſis F. quanquam vetulæ, & proſtitutæ, amorem incidit, atque ita captus eſt, ut ſe ab ea regi pateretur. Quare cùm Lyſimachus Demetrii legatis in colloquio cicatrices oſtenderet ejus vulneris, quod leo ei intulerat, cùm ab Alexandro leoni eſſet objectus, legati reſponderunt: In brachiis colloque poſſe Demetrium Lamiæ dentium notas oſtendere. *Plut.& Ælian.lib.12.* Ex ea Philam habuit filiam. Amavit quoque Leænam Athenienſem, item Maniam, aliaſque complures. *Athen.lib.13.cap.13.*

ALCIBIADES, Atticis Lacæniſque relictis, Medontidem Abydenam dilexit, ac in Helleſpontum cum Axiocho, qui ejus pulchritudinis erat amator, navigavit, duas amicas ſecum ſemper ducens, Damaſandram junioris Laidis matrem, ac Theodotem Atticam. *Athen.lib.13.cap.12.& lib.12.cap.16.* ubi pro Dimaſandra Timandram habet; in cujus gremio confoſſus fuit, teſte Plutarcho, ubi Phrygiæ Meliſſa, cùm ad Artaxerxem regem fugeret. Ei tumulum magnificum Timandra extruxit. G

EPICURUS philoſophus Leontium & Laidem amicas habuit. *Athen.lib.23.c.20.*

ARISTIPPUS ſingulis annis duos menſes in Ægina Neptunaliorum tempore apud Laidem commorabatur. Reprehenſus à quodam domeſtico, quòd tantum argenti in eam impenderet cùm ſine mercede cum Diogene Cynico eſſe conſueſceret, reſpondit, Ego multa Laidi tribuo, ut ipſe illa fruar; non, ne quis fruatur alius. Cùm diceret ei Diogenes, O Ariſtippe, communi ſcorto habitas? vel cyniza igitur, ut ego, vel deſiſtito; reſpondit. Nunquid abſurdum tibi videtur, Diogenem domum aliquam habitare, in qua alii habitarunt prius? Non profectò, inquit. Quid in eadem navi navigare, in qua navigarunt alii complures? Neque hoc ſanè. Eodem pacto neque cum ea muliere eſſe abſurdum eſt, qua uſi ſunt complures alii. *Athen.lib.13.cap.20.* Dicebat, multum inter ſe, & cæteros Laidis amatores intereſſe, quòd ipſe haberet Laidem, alii verò haberentur à Laide. *Lactantius.*

PLATO Archeanaſſam Colophoniam deperiſſe putatur, editis his de ea verſibus: H

Ἀρχεάνασσαν ἔχω τὴν ἐκ Κολοφῶνος ἑταίραν,
Ἧς καὶ ἐπὶ ῥυτίδων ἕζετο δριμὺς ἔρως.
Ἆ δειλοὶ, νεότητος ἀπαντήσαντες ἐκείνης
Πρωτοπλόου, δι' ὅσης ἤλθετε πυρκαϊῆς.

Laertius in eius vita, & Athen.lib.3.c.21.

ISOCRATES omnium oratorum maximè verecundus, Metaniram Callenque amicas habuit, ut affirmat Lyſias in Epiſtolis. Demoſthenes autem in oratione contra Neæram, Metaniram Lyſiæ amicam fuiſſe ſcribit. Amavit Laidem etiam Lyſias, cujus Cephalus orator encomium ſcripſit, velut Alcii Damas. Laites Gorgiæ diſcipulus, Naidis amicæ & ipſe encomium edidit. *Athen.l.13.c.22.*

HYPERIDES orator, cùm filium Glaucippum ex patria domo expuliſſet, Myrrhinam amicam ſumptuoſiſſimam aluit, atque hanc in civitate habuit, in Piræo Ariſtagoram, Philamque in Eleuſine, quàm cùm multis numis emiſiſſet, libertate donavit, rebuſque domeſticis præfecit. Fatetur palàm Hyperides in oratione pro Phryne, ſe illam amaſſe, ac nondum ab illius amore dimiſſum fuiſſe, cùm Myrrhinam domum duxit. *Athen.lib.13.c.23.*

A Joſephus Judæorum princeps, apud Ptolemæum Euergetem Alexandriæ cœnatus, ſaltatriculæ in convivio vetito amore exarſit. *Ioſeph.l.12.c.4. Antiq.*

D. Auguſt. ante converſionem concubinas habuit.

☞ *Vide Tit. Doctorum Eccleſiaſticorum.*

Promiscue.

Lysias orator de Alcibiadis narrans deliciis, inquit: Cùm unà in Helleſpontum Axiochus, & Alcibiades navigaſſent, in Abydo uxores duxerunt Medontiadem Adydenam, & Xenocepen. Poſteà cùm filia illis eſſet nata, quam non poſſe ſe diſcernere dicebant, utrius eſſet, ubi viro matura fuit, cum hac etiam dormierunt, quam ſi haberet uteretur que Alcibiades, Axiochi filiam eſſe dicebat, ſi Axiochus; Alcibiadis. *Athen.lib.12. cap.16.*

ADULTERÆ CUM CONCUBINIS.

B

Concubini adulterarum.

☞ *Exempla quædam ex Tit. Libidinoſorum in genere, peti poſſunt. Item Matronarum ſtupra. Illic Agentis, hic Patientis habetur ratio.*

Venus Vulcani uxor, cùm maritum ob deformitatem corporis non magnoperè amaret, clàm cum Marte congrediebatur. Gallum juvenem ſecum Mars adducebat cuſtodem, quem relinquebat ad oſtium, ut adventantes obſervaret, Solem præcipuè, quem maximè omnium deorum Mars metuebat, ne rem Vulcano indicaret, propter ſingularem inter illos amicitiam. At Gallo in ſomnum verſo, Sol rem conſpexit, Vulcanoque indicavit: qui tenuiſſimum rete ferreum confecit, & circa thorum ita tetendit, ut conſpici non poſſet. Mox utroſque nudos in illo rete implicatos, omnibus diis ridendos expoſuit. *Nat. Com. Mythol.l.2.c.6.*

Duris Samius in eo libro, quem ſcripſit de Agathocle, Pene- C lopen cum omnibus procis rem habuiſſe ſcripſit, è quorum congreſſu Pana natum dicit. *Nat.Com.Mythol. l.5.c.6.*

Minotauri, ex Paſiphae nati, fabulam ad hiſtoriam deduxit *Zetzes hiſt.primæ Chil.* ſcribens, Taurum ducem cum ingenti clade ſuppetias Minoi tuliſſe. Quem cum vidiſſent Cretenſes, priuſquam dimicaretur, regem Minoem ſalutarunt. Ejus Tauri, viri ſanè elegantis, & ſtrenui ducis, amore capta eſt Paſiphae Minois uxor, Dædaloque conſcio, & adjutore, in privata domo lignea cum illo dicitur concubuiſſe, ex quo natus eſt puer, qui & adulteri, & legitimi mariti Paſiphaes nomen reportavit. *Nat.Comes Mythol.l.6.c.5.*

Indorum Mulieres alioqui pudicitia celebres, elephanti tamen pretio oblato, amatoribus pudorem ſubſternunt, nullo inde præfloratæ famæ diſpendio. Quin laudi facinus ducitur, quòd tanti earum forma cenſeatur. *Cæl.l.18.c.31.*

Clytæmnestra cum Ægiſtho adultero in perniciem mariti Agamemnonis conjuravit. Quo interempto, Oreſtis furor in matrem concitatus eſt.

Eurydice, Macedonum regina, Amyntæ uxor, atque Philippi mater, ut adultero regnum traderet, Alexandrum ac Per- D diccam filios veneno ſuſtulit, idemque viro feciſſet, niſi filia ſcelus detexiſſet. *Fulg.lib.9.c.1.*

Pharus cùm uxorem haberet adulterii ſuſpectam, atrii fores ſic occluſit, ut non niſi cum ſtridore ſonituque poſſent aperiri. Verùm illa per tegulas adulterum intromiſit. Hinc vicini per jocum dicebant, Phari oſtium, quo proverbio innuebant aliquid ſervatum fruſtrà.

Cum Spartani Meſſenios jam decem annis in Era monte obſiderent, Emperami clari hominis inter Spartanos ſervus, cum domini pecus paſceret, quotidie ferè boves præ ſe ad Nedam fluvium agebat. Ibi Meſſenii hominis in ſuburbano habitantis uxorem aquatum venientem conſpicatus, ejus amore captus eſt, adeoque fœminam primò donis ad colloquium, deinde ad ſtupri conſuetudinem pellexit. Obſervabat hic, quo tempore ejus vir cuſtodias obiret; ſuam enim quæque vicem civitatis pars in arcis præſidium obtinebat. Fortè ita accidit, ut eſſet illi nocturna vigilia cum præſidiariis militibus obeunda, per effuſiſſimos verò ea nocte imbres ſtationem deſerere cogerentur qui excubabant. Ergo & Spartani paſtoris amicæ vir domum rediit, cùm intùs eſſet adulter. Id ubi ſenſit mulier, occultato amatore, vinum hilariùs etiam multò, quàm conſue- E verat, accipit. Percontatur deinde, quamobrem ſpe ſua celeriùs rediiſſet. Hìc ille veram exponit facti cauſam: Tempeſtatis vi non ſe magis, quàm ſocios omnes è præſidio pulſos. Paſtor ubi nudatam arcem præſidio intellexit, quàm raptim potuit in caſtra Lacædemoniorum effugit, docet, appoſitum illud eſſe ad Eram capiendam tempus. Ergo ſervum itineris ducem ſecuti Spartani, via perdifficili per denſiſſimas tenebras, nihil imbre remittente, ad arcem pervenere, & Era capta, ſecundo bello Meſſenio finem impoſuere. *Pauſanias in Meſſenicis.*

Hypsicreon Mileſius, & Promedon Naxius amici erant. Quum Promedon Miletum veniſſet, Neæram ferunt eum adamare cœpiſſe. Hypſicreonte domo profecto, ad dormientem noctu accedit Neæra, ſperans eum perſuaderi poſſe. Sed quum ille nihil concederet, reveritus communem amicitiam Neæra thalamo occluſo, coegit eum ſibi miſceri. Sequenti die inſtructa navi abiit in Naxum, eumque Neæra ob timorem Hypſicreontis ſecuta eſt. Quam quum iſtic quæſiviſſet Hypſicreon, ſupplicem invenit ſedentem in templo Veſtæ in Prytanæo. Naxi autem petenti Hypſicreonti, daturos ſe eam F negabant; conceſſerunt autem, ut à ſe perſuaſam ultrò abduceret. Hypſicreon verò impium quiddam admittere timens, ad Mileſios redit, eoſque, ut Naxiis bellum inferrent, perſuaſit. *Parthen. in Erot. cap. 18. ex Theophraſti lib. 1.* πρὸς τοὺς καιρούς.

Mithridates Ponti rex, dum omnem Aſiam ignoto habitu peragrat, Laodice uxor eadem, & ſoror, recepta ejus mortis opinione, quæ falſis rumoribus fuerat diſſipata, quum ſe in concubitus amicorum projeciſſet, filium marito abſente conceptum enixa erat. Cujus culpæ conſcia bona conjux, Mithridatem tollere conata eſt. Venenum ancillæ indicio deprehenſum, in auctoris perniciem verſum eſt. *Sabellicus lib. 3. Enneadis 6.*

Acca Laurentia, Fauſtuli paſtoris regii uxor, meretrix inſignis, propter formoſiſſimi corporis quæſtum turpiſſimum Lupa appellata (unde ad noſtram uſque tempeſtatem meretricum cellulæ lupanaria dicuntur) Romulum, & Remum nutrivit, & educavit. *Livius lib. 1. Dec. 1. Plutarch. in vita Romuli.*

G Fabia, Fabii Fabricani uxor, dum Petronium Valentinum liberali forma adoleſcentem (quocum adulterii conſuetudinem habebat) maximè deperiret, maritum interfecit, ut adultero frueretur ſecuriùs. *Plut. in Parallelis.*

De Milonis Uxore *Martialis Epigr. lib. 7. ſic ſcribit.*

Milo domi non eſt. Peregrè Milone profecto
Arva vacant, uxor non minùs inde parit.
Cur ſit ager ſterilis, cur uxor lactitet, edam:
Quo fodiatur ager non habet, uxor habet.

De uxore Galli *idem lib.*

Gentibus in Libycis uxor tua, Galle, notatur
Immodicæ fœdo crimine avaritiæ.
Sed mera narrantur mendacia. Non ſolet illa
Accipere omnino. Quid ſolet ergo? dare.

Faustina, nec M. Antonini (non modò principum, ſed omnium mortalium optimi, quæ ætate illa fuerunt) neque patris memor, qui & ipſe rerum Romæ potitus eſt, adeò in venerem præceps abiit, ut in Cajetano ſeceſſu nauticas ſibi conditiones quæreret. Admonitus maritus domeſtici probri: Aut eſt, inquit id dedecus ferendum, aut reſtituendum eſt imperium, quod H ab ea accepi. *Sab. lib. 4. c. 1.*

Aufilenam Catullus adulteram ſuis verſibus perſtringit.

Proculina quoque, Lectoria & Gellia, à Martiale notantur ut adulteræ. Hippia à Juvenale:

Promptiùs expediam, quot amaverit Hippia mœchos.

Anglaia Romana matrona diſpenſatori Bonifacio ſeſe proſtituit. At ſub Diocletiani perſecutione ad pœnitudinem ambo converſi, finem pernicioſæ voluptati ſtatuerunt. *Marulus lib. 2. cap. 12.*

Rosimunda regina Longobardorum, Peredeo ſe ancillæ habitu ſuppoſuit, eundemque ad Alboni regis necem, in paternæ necis vindictam, impulit.

Hangulphus miles Pipini Francorum regis in Burgundia fonte empto, eundem in Francia in loco, qui dicebatur Uvarenna, emergere precibus ad Deum fuſis impetravit. Uxor ejus de adulterio accuſata, juſſa ex fonte illo lapillum tollere, brachium ambuſtum extraxit. Dimiſſa proinde à marito cum clerico adultero, cædem illi intulit. Hinc ille pro martyre habitus eſt, ſic ut ad fontem illum ferantur miracula edita. Claruit anno Domini 79. *Sigeb. Erphod. cap. 67. Vincent. lib. 23. cap. 159.*

Zoe Imperatrix Romanum Argyrolopum maritum interfecit, ut liberiùs mœcharetur cum Michaele Paphlagone, qui in imperio ſucceſſit. *Zonaras.*

Fredegunda Gallorum regina, cùm à Chilperico viro (qui à venatione reverſus erat citiùs quàm antè conſueviſſet) poſt tergum, velut è blandiente, virga tacta eſſet, dum inclinata lavaretur, arbitrata ipſa id ab adultero Landrico actum eſſe, virum nomine amantis compellavit. Sed ut errorem animadvertit, ultionem verita, virum necandum curavit. *Fulg.l.9. c.9. & Æmilius.*

Philippus Vicecomes, ducta in uxorem Beatrice, Facini Scaligeri vidua, illius gratia paternum principatum recepit. In hoc gerendarum rerum curſu in domeſticam cladem, non magis inopinatam, quàm turpem, incidit, Beatrice, quam jam exacta ætate fœminam in matrimonium receperat, adulterii comperta. Adoleſcens ejus pincerna, qui cum illa ſtuprum feciſſe dicebatur, quæſtioni ſubjectus, crimen confeſſus eſt, ac ſecuri percuſſus. Beatrix contrà id flagitium conſtanter in- B ficiata eſt. Cæterùm cùm nihilo ſeciùs ad ſupplicium traheretur, adoleſcentis truncum intuita, ejus manes execrata eſt, ut fertur, quòd pudicitiam ſuam tota vita ſanctè à ſe cuſtoditam, ſupplicii metu, falſo teſtimonio labefactaſſet. Fuere, qui crederent, ex Philippi ſententia ea omnia accidiſſe, quòd intempeſtivum connubium jam faſtidire cœpiſſet. Sed id ab ea magnitudine animi, qua fuiſſe fertur, alienum videtur. *Sab.lib.9.En.9. & lib.1.Enn.10.*

Lituanorum matronæ palàm concubinos habent, virorum permiſſu, quos connubii vocant adjutores: contrà pellicatus viris probro datur. Adeò gens una à cæteris mortalibus diverſo vivit ritu, ut non abſurdum ſit illud Ariſtippi, honeſtum non natura, ſed conſuetudine conſtare. Solvuntur ab hiſe connubia mutuo conſenſu. *Fulg.lib.2.cap.1. Sab.lib.4.En.10.c*

Dux quidam Opaviæ, uxori, quam ex Lituania acceperat, obviàm cum exiſſet, in comitatu illius adoleſcentem offendit forma egregium, robuſto corpore, in plumis jacentem, penſili curru advectum. Interrogavit, Quiſnam eſſet? conjugis ſuæ fratrem, aut propinquum exiſtimans. Reſponſum eſt ab iis, qui propiùs aderant, apud Lituanos more patrio nuptas, C quæ nobiles quidem eſſent, unum pluresve concubinos pro viri facultatibus domi alere conſueviſſe, qui negligente marito onera matrimonii ſubeat; illumque ſibi adductum fuiſſe, qui vices ſuas ſuppleat, ſi quando, ut fit, vel morbo, vel alia quavis cauſa conjugi debitum perſolvere nequiret. Voluit dux laniandum canibus hominem obiicere. Sed prohibitus ab amicis, in Lituaniam quàm celerrimè redire eum juſſit. *Æn. Sylvius lib.4. Com. de Alfonſo.*

Henricus VIII. Britanniæ rex inſani propè amoris libidine correptus, Catharinæ uxori repudium miſit, an. Sal. 1536. religionis titulum prætendens, quòd Catharina Arcturo fratri ſuo germano anteà nupſiſſet. Annam igitur Boleniam ſuperinduxit, cui regalia tradita ſunt ornamenta, & tanquam ex legitimis nuptiis communicatus genialis thorus. Catharina miſerabiliter thoro domoque pulſa, quum dolorem ſuſtinere non poſſet, fato conceſſit. Exinde Bolenia, ſublata veluti pellice thorique æmula, inauſpicatò triumphans, & maſculam prolem affectans, in ſpem ſucceſſionis regni, exiſtimavit, Henricum ingraveſcente jam ætate, & à multo abdomine pigreſcentem, parùm idoneum fore, qui marem progigneret, quòd anteà D fœminas tantùm ſuſcepiſſet. Quamobrem nefaria concepta libidine, uteri fœcunditatem adulterino ſemine experiri conſtituit, pellecto ad concubitum Georgio fratre germano, ut is deteſtabilis inceſtus, ideoque incredibilis, extra omnem ſuſpicionem ſcelus contegeret. Sed non multo pòſt fraternos concubitus inanes experta, adjecit procacem animum, nec præſentibus contentum, ad Norrejum & Bruertonium equites ex aula illuſtres, ſic ut his exſaturata, ad Marcum etiam muſicæ artis magiſtrum ſibi familiarem inverecundè deſcenderet. Hæc flagitia ab ancilla, quæ cum amatore ſuo ludens, ſeveriùs ab ipſa Bolenia caſtigata fuerat, ad regem delata ſunt, atque eo modo tortis atque interfectis adulteris, Bolenia damnata eſt, aſtante inter judices, & ſuffragium ſuum ferente Thoma ipſo Bolenio patre. Producta exinde in veſtibulum Londinianæ turris, ſatis interrito vultu, pediſſequas circa ſe plorantes ſervandi pudoris admonuit, collectaque ſubter reticulum coma, lacteam cervicem, quæ tantoperè regi placuerat, carnifici latum ſtringenti gladium porrexit. *Iov.l.34. Hiſt.*

PELLICES, QUÆ CUM MARITO alterius miſcentur. E

☞ *Conſule Tit. Adulter cum Meretricibus. Illic Agentis ratio habetur, hic Patientis.*

Mentham fingunt fabulæ Plutonis fuiſſe pellicem, quam Proſerpina dolis circumvenerit, & in hortenſem meotham commutaverit. *Stob.l.8. & Ovid. in Metam.*

Habra Sclerena, pellex Conſtantini Monomachi Imp. fuit, cùm neptis eſſet ex fratre uxoris ſuæ; idque conſenſu Zoes uxoris, quæ ob ingraveſcentem ætatem jam zelotypiam abjecerat. *Cuſpin.*

Bertrada duciſſa Aquitaniæ, Philippo regi Francorum cauſa filii ſeſe proſtituit, ut ei paternas opes incolumes præſtaret adverſus Aſperum comitem Aſtdegavenſem, ducis Aquitaniæ beneficiarium, à quo acerrimo bello petitus fuerat. *Æmil.*

Henricus I. Imp. Monialem aliquandiu pro concubina habuit. Ex ea Dancmarum ſuſcepit, qui pòſt in Othonem I. F fratrem, ſed legitimo natum thoro, conſpirans, interfectus eſt. *Crantz.l.3.Saxon.c.15.*

Aydna, Cuphece & Mandua, tres Cumanæ captivæ, concubinæ Ladiſlai III. regis Ungariæ fuerunt, juxta uxorem Caroli regis Siciliæ filiam, quam neque pro dignitate tractavit, neque conjugali amore proſecutus eſt. *Bonfin.l.8.Dec.2.*

Heſter Hebræa, concubina Caſimiri regis Poloniæ, ampliſſ. privilegia genti ſuæ ab amatore impetravit. *Cureus in Sileſiæ Annalibus.*

Perpetua Novarienſis Franciſci Sfortiæ pellex, cùm ei paulatim intumeſceret uterus, ad tegendum facinus, quæſito qui eam duceret viro deſpondetur. At conſtituta nuptiarum die cùm eam ſponſum in oppido præſtolaretur, ducitur illa multis comitata nobilibus. Sed ingreſſa oppidum, cùm deſcendere in domum ſponſi crederetur, juſſa ulteriùs pergere, in arcem rapta eſt, nec ulteriùs infelici viro videndæ ſponſæ copia fuit. *Æn.Sylv.c.59.Eur.*

Concubina Jacobi Appiani, Plumbini Hetruriæ oppidi præfecti, Æthiopem peperit. *Æn.Sylv.c.56.Eur.*

Roſſa Solymanni Turcorum Imp. concubina, ex qua filios G quatuor, & unam filiam progenuit. Eam poſteà libertate donatam, legitimo matrimonio ſibi copulavit. *Aſcan. Cent. l. 6. com. bell. Tranſyl.*

Eva Trotina puella nobilis, concubina fuit Henrici ducis Brunſvicenſis, quam in arce Stauffeburga longo tempore clàm ſuſtentavit, dum alii eam jampridem mortuam opinarentur. *Sleidanus l.15.*

MERETRICES. CONCUBINÆ.

☞ *Huc refer ex Loco de Concubinis.*

CONNUBIA PROMISCUA.

Matrimonii contemptus.

☞ *Exempla plurima ex catalogo Hæreticorum pete, qui nuptias tanquam opus diaboli condemnarunt, & promiſcuos concubitus admiſerunt.* H

Macarum in Africa finitimi ſunt Gindanes, quorum uxores ferunt fimbrias pelliceas ſingulæ multas, ob hoc (ut memoratur) quòd ut à quoque viro venerem paſſa eſt, fimbriam orat, & ut quæque plurimas habet, ita præclariſſima cenſetur, tanquam à pluribus viris adamata. *Herod. l.4.*

Ex lege Theodompus refert, ut ſcribit Athenæus, Tyrrhenis mulieres fuiſſe communes, quæ corpori ſtuderent impenſiùs, exercerenturque cum viris nudæ; neque enim illis turpe cenſebatur hoc. Cœnaſſe verò cum iis, in quos incidiſſent, propinando item pro arbitrio; fuiſſe quoque vini capaciſſimas, ſed & forma conſpicuas. *Cæl.l.14.c.8. A.L.*

Nomades communes habent uxores & filios, & apud Scythas, præter enſem & cyathum, uxores & liberi in communi ſunt.

Dapſolybies congregati, omnes uno die uxores unà ducunt, poſt Vergiliarum occaſum. Nam poſt epulas mulieribus ſeorſim diſcumbentibus, extincta lucerna, viri ad ipſas ingrediuntur, & quilibet, quamcumque contigerit, ducit. *Ex Nicol. de Mor. gent. Stob. ſer.42.*

A Limpyrnii populi vulgato concubitu connubia habuere promiſcua, filioſque editos poſt quinquennium in unum coactos, ſuum quemque ſimilem agnoſcere, & pro filio educare feruntur. *Alex.ab Alex.lib.1.c.24.*

Argentocoxi Caledonii Britanni uxor, Juliæ Auguſtæ, quæ ipſam mordebat, initis fœderibus, quòd Scotorum mulieres pro more gentis impudenter cum maribus verſarentur, dixiſſe fertur: Nos apertè cum optimis viris habemus conſuetudinem, vos autem Romanas occultè peſſimi homines conſtuprant. *Dion.Nicæus, & Xiphil.in vita Severi*. Fraterculi hæretici promiſcuo utuntur concubitu, lucerna extincta. *Sabell.lib.7. En.9.*

Adamitis in Moravia connubia promiſcua fuere, nefas tamen injuſſu Adami mulierem cognoſcere, ſed ut quiſque libidine incenſus in aliquam exarſit, eam manu prehendit, & adiens principem: In hanc, inquit, ſpiritus meus concaluit. Cui princeps reſpondet: Ite, creſcite, & multiplicamini, & replete terram. *Æn.Sylv.c.41.Boemia.*

MATRIMONIUM IMPUDICUM,
B Quatenus libidinosè

CONTRAHITUR RESPECTU

Religionis.

☞ *Vide Tit.Coniugia inter religione diſpares, quatenus libidine ſociantur.*

Ætatis, inter Senem & Iuvenem.

☞ *Vide Tit.Libidinis acquiſitio Ætatis neglectu.*

Apud Chalcidenſes nuptias Antiochus Aſiæ rex, bello jam contra Rom.commiſſo, celebravit, parùm pro ætate, vel in tempore, ſed amore captus grandævus puellæ. Filia ea erat Cleoptolemi (Livius Neoptolemum vocat) forma, ut fama eſt, inter virgines venuſtiſſima. Id in cauſa erat, ut Chalcidenſes ſtudioſiſſimè cùm rege facerent, urbemque ei darent belli ſedem. A conflictu fugiens Antiochus, Chalcidem contendit, & puellam abſtulit. *Plut.in Flaminio.*

In Niconoen vetulam tale carmen extat in 2. Epigr.

Ἤκμασε Νικονόη. κἀγὼ λέγω· ἤκμασε δ' αὐτή,
Ἡνίκα Δευκαλίων ἄπλετον εἶδεν ὕδωρ.
C Ταῦτα μὲν οὖν ἡμεῖς οὐκ οἴδαμεν· ἀλλ' ὅτι ταύτην
Οὐκ ἄνδρα ζητεῖν νῦν ἔδει, ἀλλὰ τάφον.

DIONYSII ſenioris Mater, cùm quæreret grandæva viro collocari; Civitatis, reſpondit ille, perrumpere leges ſe poſſe, naturæ non poſſe. *Plut.in Apoph.*

M.Catonem conciliatæ præter dignitatem, & ætatem nuptiæ, non mediocri neque levi macula aſperſerunt incontinentiæ. Nam ætate illum tam gravi, filio adulto & nurui ſuæ alteram inducere puellam uxorem, apparitoris & mercenariam operam publicè præbentis filiam, minimè fuerit honeſtum. Verùm ſive libidine ſtimulatus hoc egit, ſive ira ſcorti cauſa ulturus filiam, & factum, & prætextus cum probro eſt conjunctus. Nam qua uſus eſt ratione, cavillans apud filium, falſa erat, ſi enim æquè egregios gignere cupiebat, debebat re à principio deliberatè generoſam uxorem ducere, non quandiu occulta fuit ſua cum muliere non juſta, & vulgari conſuetudo, temperare; ubi verò res detecta eſt, ſocerum facere eum, qui facillimè aſſenſurus, non affinitate, ornamento ei erat futurus. *Plut.in Comp.Ariſt.& Catone.*

AUGUSTINUS Niphus Sveſſanus, philoſophus clariſſ.ſuſceptis
D liberis & ſeneſcente uxore ſeptuagenarius ſenex, puellæ citra libidinem impotenti amore correptus eſt, uſque ad inſaniam, ita ut philoſophus ſenex, & podagricus ad tibiæ modos ſaltarit, nec multò poſt perierit. *Iov.in Elog.*

JOAN. Manardus Ferrarienſis, medicus clariſſimus, prolis quàm vitæ cupidior, decrepitus ferè, & arthritide confectus, juvenculam duxit uxorem. Itaque ex intempeſtivo veneris uſu mortem ſibi ipſi accerſiviſſe creditur, accedente ridiculo quodam Chiromantis cujuſdam præſagio, qui in fovea periturum dixerat. *Iou.in Elogiis.*

Dignitatis, inter diſpares.

Vide Tit. Acquiſitio libidinis neglectu dignitatis.

UDALRICUS Boemiæ princeps, à venatu revertens, incidit in puellam ruſtici cujuſdam hominis filiam, Beatricem Bozenam', linteolorum ſordes in fonte eluentem. Ejus amore correptus, fruſtrà diſſuadentibus omnibus, non pro concubina habere, ſed uxorem eſſe voluit, ſe una nocte effecturum dicens, ut quæ pridie virgo ruſtica fuiſſet, perendie princeps mulier eſſet. Sed brevi à nuptiis tempore, Beatrix tale generoſæ indolis ſpecimen, tum morum elegantia, & modeſtiâ, tum verborum comitate, & civililate, tum vita denique caſta, & pudica oſtendit, ut in non minorem ſui admirationem quàm priùs invidiam, matronas etiam nobiliſſimas traxerit. *Dubr.lib.7.* E

Connubii præcedentis. Nuptiæ ſecundæ libidinoſæ.

GORGOPHONE Perſei filia (cujus tumulus Argis ſpectatur) prima fuit, quæ Perieri Æolio, cui cum virgo nupta fuerat, mortuo, alteri viro Oebalo nupſit, cùm ante ſanctum, & ſolenne fœminis fuiſſet, priore viro mortuo, ſecundis nuptiis abſtinere. *Pauſan.in Corinth.*

CONSTANT. Monomachus Imp. Zoe Imperatrice ſeptuagenaria mortua, amore perditus cujuſdam puellæ, ab Alanis in obſidem Romanis datæ, primatis ejus gentis filiæ, Auguſtam appellavit. Et niſi Theodora regina Zoes ſoror obſtitiſſet, quaternas cum ea nuptias celebraſſet, Imperatricemque dixiſſet. Sed non duravit illi regius honor rege mortuo, ſed fortuna mutata in priorem, obſidis ſortem recidit. *Idem.*

CUNIGUNDIS Bulgara, Othocari Boemorum regis vidua, dum Unceslaus IV. filius ab Othone Longo Marchione tutore Brandeburgi educatur nimis familiariter, cum Zaviſſio Roſſenſi Znoymæ vivens, peperit primùm, mox cum adultero matrimonium contraxit. In magno interim metu ambo erant ut in Boemiam ad poſſeſſiones ſuas redire non auderent. Cæterùm Venceslaus domum reverſus, matri ad primum ejus conſpectum gratiam delicti fecit, Zaviſſium tamen aſpicere dedignatus eſt, vetuitque in aula ſua eum apparere; ſed mater paulò pòſt veniam illi quoque impetravit, & in dignitatis locum provexit, ut penes eum omnis poteſtas aulica eſſet. *Dubr.lib.8.cap.18.* F

Noſtro tempore, inquit Vives, in Flandria Mulier quædam cùm nupta propè ad 50.annum ſine fœtu vixiſſet, defuncto viro, nupſit alteri, id ſolùm prætendens, ut experiretur, utrum, quòd liberos non haberet, fuiſſet culpa in ſe, an in viro: digna profectò cupiditas muliere vetula, ſed delira. Nec illi lætum admodum fuit connubium, nam filium peperit, qualem nulla habere vellet. *L.Viu.de Chriſt.fœmina l.2.*

EXERCETUR,

G *Variis modis hic peccari poteſt, loco, tempore, ſpecie, ſimilibuſque circumſtantiis. Peccati autem cauſa in genere unica, Libido ſcilicet effrænis, & impotens, quæ ſæpè facit ut benedictio diuina in maledictionem conuertatur.* ☞ *Ex Tit. Libidinis conſideratæ reſpectu modi, Loci, Temporis, huc quædam.*

Religionis neglectu.

GENEBAUDUS Laudunenſis Epiſcopus, cùm uxorem, cum qua religionis cauſa divortium fecerat, cognoviſſet, ſeptem annos in parva cellula clauſus peregit, deflens peccatum ſuum, atque illud in eadem ſibi condonatum eſſe, angelo nunciante didicit. *Marul.lib.4.c.20.& l.2.c.12.& Fulg.l.6.c.9.ex Sigeb.ann.500.*

Valetudinis periculo.

AMBROSIUS in homiliis, quas conſcripſit in Euangelium Lucæ, refert hoc adagium, χαῖρε φίλον φῶς, ad hujuſmodi fabulam: Theotimo cuipiam, cum gravi morbo oculorum laboraret, ſi faceret, prorſum cæcitatem imminere. Verùm huic libidinoſo medici interminati fuerant, ne cum uxore rem haberet: impatiens, non potuit ſibi temperare, quin uxorem amplecteretur. Itaque cùm jam medio veneris calore ferveret, & in mentem veniſſet medicorum interdictum, χαῖρε, inquit, φίλον φῶς, id eſt, Vale amicum lumen. Nimirùm intelligens ſe voluptatem eam perbrevem oculorum diſpendio emiſſe. *Eraſ.in Adag.* H

Officii intermiſſione.

Inter illos qui vocati ſunt ad magnam cœnam, nec iverunt: is qui uxorem duxit, non petiit ſe excuſatum haberi, ſed ait: Uxorem duxi, ideò non poſſum venire. Per quod patere poteſt, quàm longè ſint à cœna Domini, luxurioſi homines & immundi, ſi ducere uxorem ita hominem implicat, & involvit, ut nihil aliud cogitare ſinat. *Luc.24.*

A LIBIDO VENEREA PRIMARIA, CONSIDERATA RESPECTU MODI.

QUO AD DESIDERIUM, CUPIDITATEM, PRURIGINEM.

Ἱππομανεῖν dicebantur proverbiali convitio fœminæ viroſæ, ac libidine præter modum prurientes. Ariſt. lib. 6. de Animal. αἱ μὲν οὖν ἵπποι θήλειαι ἱππομανοῦσιν· ὅθεν καὶ ἐπὶ τὴν βλασφημίαν τοὔνομα αὐτῶν ἐπιφέρουσιν, ἀπὸ μόνου τῶν ζώων τὴν ἐπὶ τῶν ἀκολάστων περὶ τὸ ἀφροδισιάζειν: *id eſt, Igitur equæ feriunt in equos. Vnde ab uno hoc animante ductum eſt vocabulum, quod in mulieres convitio dicitur, circa venerem intemperantes.* Eraſmus in Adagiis. *Ita quoque Luſtramentum, intemperans & effrænata rei venereæ cupiditas. Luſtrari enim ſcortari ſignificat, & in luſtris meretricum, ac lupanaribus verſari.* Hotom.de Verb.jur. *Similiter παγητιᾶν prurigo averſæ veneris, muliebria appetere, apud* Ariſtophanem, & Athenæum.

NARCISSUS, amnis Cephiſſi & Nymphæ Lyriopes filius, teſte *Ovid.l.3. Metam.* Echo capto ejus amore, contabuit, & in
B ſolam vocem converſa eſt. Fabulantur, hunc ad fontem puriſſimum labore venationis fatigatum veniſſe, & ſuam imaginem in fonte inſpexiſſe. Amore ſui ipſius captus, cùm nullam potiundæ talis formæ ſibi ſpem reliquam intelligeret, ſui ipſius deſiderio contabuit, ac deorum miſericordia in florem ſui nominis converſus eſt. Hinc nomen traxit, Narciſſus ἀπὸ τοῦ ναρκᾶν, à marceſcendo, quia ob id deſiderium torpuerit. Is flos Eumenidibus fuit conſecratus, ut ait Iſther in lib.de Coronis. Scriptum reliquit Phanodemus lib.5. rerum Atticarum, coronas è Narciſſo conſecratas fuiſſe Proſerpinæ, quoniam florem illum colligeret, cùm rapta fuit à Plutone. Pauſanias in Bœoticis, in finibus Theſpienſium vicum Hedomacum fuiſſe ait, & in eo fontem Narciſſum vocatum, in quo ſe Narciſſus inſpexerit. *Natal.Com.l.9.Mythol.c.16.*

Fama eſt, Eutelidam, cùm formam ſuam ſpectaſſet in aqua, & vidiſſet formoſam, ex eo, quòd ſe ſpectaſſet, vulneratam, in morbum incidiſſe, corpuſque cum forma amiſiſſe. *Plut.l.5. Quæſt.conviv.7.*

Nauſiaca, Alcinoi Phæacum regis F. cùm Ulyſſem in litore errantem vidiſſet, viri alloquio & forma delectata, & amore
C illius correpta, ad famulas converſa dixit:

Αἲ γὰρ ἐμοὶ τοιόσδε πόσις κεκλημένος εἴη
Ἐνθάδε ναιετάων, καί οἱ ἅδοι αὐτόθι μίμνειν.

Quòd ſi Hæc concubitus cupiditate loquitur, audacia & libido illius reprehendenda. Sin verò prudentia ejus delectata, talem virum potiùs, quàm naviculariam aut ſaltatorem aliquem civium ſuorum ſponſum habere optat, laudanda eſt puellæ indoles. *Ex Odyſſ.ζ. Plut.de Aud.poet.*

HERCULES, quum Geryonis boves abduceret per Celtarum regionem, pervenit ad Brettanum, cui filia fuit Celtine appellata. Ea Herculis amore incenſa occultavit illi boves, neque reddere voluit, niſi priùs cum ea coiret. Hercules boves ſuas recipere cupidus, cum ea coivit, natuſque filius nomine Celtus, à quo poſteà Celtæ ſunt appellati. *Parthen.de Amatoriis, cap.30.*

Quum ob Helenam repetendam Diomedes, & Acamas veniſſent, Laodice multo deſiderio flagravit, ut poſſet juveni Acamanti miſceri. Et aliquandiu quidem præ pudore ſe cohibuit, poſt verò ab effectu victa, communicavit rem Perſei uxori nomine Philobæi, illamque ſic adjuravit, ut quantum
D poſſet, jamjam pereunti auxilium ferret. Illa puellæ calamitatem miſerta, Perſeum rogat, ut ſe in ea re juvet, jubens eum hoſpitalitatem, & amicitiam cum Acamante inire. Perſeus partim ut uxoris voluntatem impleret, partim Laodices miſertus, omni conatu Acamantem perſuadet, ut ſe in Dardanum conferat, cujus regionis præfectus Perſeus erat. Venit ergo eò quoque Laodice, tanquam ad feſtum quoddam, Troadibus quibuſdam comitata, adhuc virgo exiſtens. Ubi quum opiparum convivium apparaſſet, in eodem lecto collocat Laodicen cum ipſo, inquiens, unam ex regiis pellicibus eſſe. Atque hoc quidem modo Laodice deſiderium ſuum explevit. Progreſſu autem temporis filius naſcitur Acamanti Munitus, quem ſub dio enutritum, poſt Trojæ captivitatem tranſportavit domum, ipſumque venantem in Olyntho Thraciæ ſerpens occidit. *Parthen.de Amat.cap.16.ex lib.1.Hegeſippi de rebus Mileſiorum.*

COTYS rex Thraciæ, eò profectus eſt inſaniæ, ut tanquam ſibi Pallas nuptura eſſet, magnificas nuptias inſtrueret, & deam ebrius expectaret. Quemdam ex ſatellitibus miſſum, qui videret, an dea veniſſet in thalamum, cùm is nullum eſſe in thalamo retuliſſet, ſagitta interfecit, aliumque rurſus eodem modo, donec tertius dixit, deam ipſum jam dudum in thalamo expectaſſe. *Athen.lib.12.cap.14.* E

NUMERUM, FREQUENTIAM.

☞ *Vide Tit. Mortui in coitu.*

ATILA Hunnorum rex, captus ſpecie puellæ, famæ ac nobilitatis inter ſuos eximiæ, cui Hildico nomen erat, eam ſibi matrimonio copulavit. Dum autem novis nuptiis nimis vino indulget, & venere ſe nimiùm exercet, quum ſupinus obdormiret, ſanguis per nares erumpens, vitalium ſpirituum meatus interclusit, ſubitòque extinctus eſt, quinquageſimoſexto ætatis anno, quamvis alii plures adſcribant. *Cuſpin.*

IMPOTENTIAM.

ANTONIUS Caracalla Clodiam Lætam, Veſtalem virginem ſtuprare propter impotentiam non potuit. Illa nihilominùs viva ſepulta eſt. *Dion.in eius vita.*

QUALITATEM.

☞ *De Cinædis ſuprà, quos ratione loci immutati ad hunc quoque Titulum referre poſſemus. Nunc etiam de aliis, qui quamuis aliam corporis partem nefaria æterniſque damnanda ignibus libidine aggrediuntur, & polluunt.* F

HER Judæ ex Sua primogenitus, cùm illegitimè cum uxore ſua congrederetur, à Domino interfectus eſt. Similiter & Onan frater ejus, cui cùm Judas pater, Thamar uxorem Her in matrimonium collocaſſet, ut ex ea liberos fratri demortuo exciteret, quia ſciebat non ſuam futuram eſſe prolem, cum Thamar rem habens, ſemen in terram effundebat. Ob quod facinus à Deo necatus fuit. *Gen.38.*

Lesbii fuere in venereis fœdiſſimi, ſτόματι μολυνόμενοι, quod Theopompus ſignificat, & meminit Stratis. Hinc eſt λεσβιάζειν verbum, uti *Ælius ſcribit Dionyſius*, & meminit octava Iliados rapſodia Euſtachius. *Cæl.lib.14.c.3. A.L.lib.18.cap.18. Euſtach.Iliad.λ.* μύζουριν, & ἀπομύζουριν appellare ſcribit, fœdo etymo.

Tanta fuit libido Ægyptiorum, qui ſunt magnis carnibus, ut nulli parcerent membro, ſed omnia conſtuprarent. *Hieron.lib.1.comm.in Ierem.c.2.* G

PISISTRATUS, tyrannus Athenienſium, cùm Megaclis filiam duxiſſet uxorem viduam (priùs enim Alcmæoni nupta fuerat, & ex eo liberos ſuſtulerat, qui crimini piaculari obnoxii eſſe dicebantur) neque ex ea liberos tollere vellet, haud legitimè cum ea coibat. Uxor ea matri, mater patri indicat. Megacles de conſpiratione facta Piſiſtratum urbe eiecit. Ille in Eretriam confugit, & vix undecimo anno pòſt, tyrannidem jam tertiò occupavit. *Herod..lib.1.*

POLYMNESTUS, & Uriphrades, & Oeonichus, fellatores fuerunt. *Suidas.*

Q.HORTENSII, qui in maximo & ingenuorum civium, & ampliſſimorum proventu, ſummum auctoritatis atque eloquentiæ gradum obtinuit, nepos Hortenſius Corbio, omnibus ſcortis abiectiorem, & obſceniorem vitam exegit, ad ultimumque lingua ejus tam libidini cunctorum inter lupanaria proſtitit, quàm avi pro ſalute civium in foro excubuerat. *Val.Max.lib.3.c.5.*

Q.RHEMMIUM Palæmonem ſuperbiſſimum grammaticum, flagraſſe libidinibus in mulieres uſque ad oris infamiam, ſcribit *Suetonius.* H

SATYRICUS felle aſpergit quendam Gellium patri ſui irrumatorem, matriſque & ſororis ſtupratorem.

TIBERIUS Cæſar (auctore Tranquillo) ſellariam excogitavit ſedem arcanarum libidinum, in quam accerſiti puellarum, & exoletorum greges, monſtroſique concubitus repertores, inceſtarent ſe coram ipſo. *Suet.* Sellariorum & Spintriarum, ex fœditate loci, ac multiplici patientia, priùs ignota vocabula comperta produntur primùm, ut dicantur Spintriæ, ἀπὸ τοῦ σπλεκοῦν τρεῖς, etiamſi nonnunquam vel plures. Sellariorum liquet ratio. *Cæl.l.14.c.8. A.L.ex Svet.* Eſt de hoc Stratonis in Græcis Epigrammatis tale:

Ἡ κλίνη πάσχοντας ἔχει δύο, καὶ δύο δρῶντας,
Οὓς σὺ δοκεῖς πάντως τέσσαρας, εἰσὶ δὲ τρεῖς.
Ἢν δὲ πύθῃ, πῶς τοῦτο; τὸν ἐν μέσσῳ δὶς ἀρίθμει,
Κοινὰ πρὸς ἀμφοτέρους ἔργα σαλευόμενον.

Ægle fellatrix apud Martialem in Epigr. Sextillus, Philagenis, Lesbia, Lyris, Poſthumus, Gaurus, Gargilius, Coracinus, Thais, Chreſtus.

A LIBIDO, IMPUDICITIA VENEREA PRIMARIA
CONSIDERATA RESPECTU LOCI, IN QUO
exercetur. Venus importuna.
Puta
IN TEMPLO, LOCO SACRO.

☞ *Vide Tit. Templa ſtupro profanata. Illic impietatis, hic Libidinis habetur ratio.*

AJAX Oilei filius, Caſſandram Priami filiam, in templo Palladis oppreſſit, Dea injuriam ulciſcente, fulminatus eſt in mari cum aliquot aliis Græcis. *Virg. l. 1. Æneid.*

In Meſſeniorum finibus Dianæ Limnatidis cognomento templum fuit, commune Dorienſibus, Meſſeniis & Lacedæmoniis, nulli præterea civitati. Ad illud templum miſſas à ſe de more virgines, violatas à Meſſeniis Lacedæmonii commemorant, ac regem etiam ſuum Telechum Archeladæ filium, Ageſilai nepotem, injuriam propulſare conantem, interemptum; ipſas quidem virgines dedecus voluntaria morte redemiſſe. Hinc odii inter Meſſenios, & Laconas principium, quod tamdiu duravit, donec Meſſenios Spartani Peloponneſo exegerunt. *Pauſan. lib. 4.*

B HIPPOMENES, Atalantæ virginis Arcadiæ procus, aureis pomis, & curſu cum ea contendens, eam ſuperarat. Mox cùm in templo Matris deum concubuiſſent, irata Cybele in leones jugales eos convertit. *Ovid. in Metam.*

DEMETRIUS Poliorcetes Athenienſes à Caſſandro obſeſſos liberavit. Ei igitur ut tunc quoque recentes, & novi aſſentationibus apparerent, Parthenonis partem poſteriorem attribuerunt pro divortio, ibique agebat, & Minerva dicebatur eum hoſpitio excipere non nimiùm caſtum hoſpitem, neque ut apud virginem divertentem honeſtè. Nam Demetrius, cùm Minervam debuiſſet, ſi nulla alia de cauſa, certè ut majorem natu ſororem (id enim dici volebat) erubeſcere, tanta in pueros ingenuos, & urbanas matronas conſpurcavit arcem laſcivia, tunc ut maximè locus ille videretur mundus, ubi cum Chryſide, Lamia, Demo, Anticyra ſcortis illis in omni laſcivia volutaretur. *Plut. in Demetrio.*

DECIUS Mundus adoleſcens Romanus deum Anubim ſe ſimulans, in templo Iſidis ſtupravit Paulinam matronam, Saturnini conjugem. *Joſeph. Antiq. l. 18. cap. 4.*

TYRANNUS ſacerdos Saturni Alexandriæ ſub numinis ſpecie
C ſtuprare ſolebat matronas. *Euſeb. l. 12. c. 23. hiſt. Eccl.*

PUBLICE.

Scribit in Onirocriticis Artemidorus, Moſſynes Scythas canum more in propatulo peragere concubitum. *Cælius lib. 18. cap. 30. Antiq. Lect.*

Tartari ſub Bela IV. Hungaria occupata, cum Hungarorum & Cumanorum mulieribus, ferarum more, in publico coibant. *Bonfin. lib. 8. Dec. 1.*

Ex Adamitis hæreticis qui continentiores matrimoniique tenaciores videri volebant, nihilominùs hanc licentiam uſurparunt, ut uxor quovis in loco, ſacro aut profano, item clauſo aut aperto, marito poſtulanti debitum redderet. *Dubrav. lib. 26.*

LIBIDO, IMPUDICITIA VENEREA PRIMARIA,
RESPECTU TEMPORIS.
VENUS INTEMPESTIVA.
Tum.
QUANDO.
PUTA INTERDIU.

D HOMERUS intemperantiſſimũ paſſim deſcribit Paridem tum præſertim *Iliad. γ.* ubi Veneris ope Menelao ereptus, Helenam ad concubitum ſollicitat, nulla ratione dedecoris habita, quòd à Menelao victus eſſet. Vix alium reperias apud auctores, qui interdiu veneri operam dare legatur. *Plut. in lib. de Audiendis poetis, & lib. 3. Conviv. quæſt. q. 6.*

Λυδὸς ἐν μεσημβρίᾳ, id eſt, Lydus in meridie: In hominem inſatiatæ, aut etiam intempeſtivæ libidinis dictabatur. Narrant, Lydos adeò libidine perditos fuiſſe, ut non tantùm noctu vacarent voluptati venereæ, verùmetiam ipſo meridie laſcivirent; unde λυδιάζειν dicunt Græci, pro Lydorum more vitam agere. De gentis hujus luxu deliciiſque multa commemorat *Athen. lib. 12.*

INTER SACRA.

L. CLODIUS præter ſtupratas ſorores mulierem mentitus, inter publicas Bonæ deæ cœremonias ad Pompejam Q. Pompeii filiam furtim penetravit, eamque adulteravit. *Plut. in Cic.*

IN CONVIVIO.

In proverbio circumfertur, Sybaritica menſa, de convivio Sybaritico, in quo & venus admiſcebatur.

C. CALIGULA ſuper ſororum inceſta, & notiſſimum proſtitutæ Pyrallidis amorem, non temerè ulla illuſtriore fœmina abſtinuit, quas plerumque cum maritis ad cœnam vocatis, præterque pedes ſuos tranſeuntes, diligenter ac lentè, mercantium more, conſiderabat, etiam faciem manu allevans, ſi quæ pudore ſubmitterent. Quoties deinde libuiſſet regreſſus triclinio, cùm maximè placitam ſevocaſſet, paulò pòſt recentibus adhuc laſciviæ notis reverſus, vel laudabat palàm, vel vituperabat, ſingula numerans bona malave corporis, atque concubitus. *Svet. in Caligula.* E

DIE SOLEMNI.

EDUINUS Angliæ rex, ipſo quo rex primùm ſalutabatur die, conſanguineam ſuam, Comitis cujuſdam uxorem, ſtupravit, idque ferè in aperto, pecorum more fecit. *Polyd. lib. 6. Angl. hiſtor.*

Urbs eſt in Brabantia Buſcumducis, in qua, ut in aliis ejuſdem terræ, ſtato anni die, quo ferunt maximum urbis templum dedicatum, publicè ſupplicatur, ludique varii divis exhibentur. Sunt qui tunc perſonas divorum induant, ſunt qui dæmonum. Ex his unus, cùm viſa puella exarſiſſet, domum ſaltitando ſe recepit, & correptam, ut erat perſonatus, uxorem ſuam in lectum conjecit, ſe ex ea dæmonium velle gignere dicens. Concubuit, concepit mulier, & infans, quem peperit, ſimul ac primùm editus eſt, ſaltitare cœpit, forma, quali dæmones pinguntur. Margaritæ Auguſtæ, Maximiliani filiæ, Caroli V. amitæ, acromata, *apud Lud. Viv. in lib. 12. Auguſt. de Civit. Dei, cap. 25.* F

IN EXPEDITIONE.

VITOLDUS Lituaniæ dux, in venerem proclivior, ſolebat relictis copiis in hoſtico, domum mutatis equis ad uxorem recurrere. *Guagnin. deſcript. Lituaniæ.*

QUANDIU.

Metyche meretricula ad clepſydram veneri ſolebat indulgere, unde Clepſydra dicta eſt. *Athen. l. 13. c. 8. Dypnoſoph.*

LIBIDO, IMPUDICITIA VENEREA,
SECUNDARIA. QUOAD
MORES.
IN GENERE, AMANTIUM
ineptiæ.

G De Phædra pleni ſunt poetarum libri. *Seneca in Hippol.*

Torretur æſtu tacito, & incluſus quoque,
Quamvis tegatur, proditur vultu furor:
Erumpit oculis ignis, & laſſæ genæ
Lucem recuſant, nil idem dubiæ placet,
Artuſque variè iactat incertus dolor.
Nunc ut ſoluto labitur moriens gradu,
Et vix labante ſuſtinet collo caput,
Nec ſe quieti reddit, & ſomni immemor
Noctem querelis ducit: attolli iubet,
Iterumque poni corpus, & ſolvi comas,
Rurſuſque fingi, ſemper impatiens ſui
Mutatur habitus, nulla iam Cereris ſubit
Cura, aut ſalutis, vadit incerto pede,
Iam viribus defœta, non idem vigor,
Non tingens nitida purpureus rubor.
Populatur artus cura, iam greſſus tremunt,
Tenerque nitidi corporis cecidit decor,
Et qui tenebat ſigna Phœbeæ facis
Oculi, nil gentile, nec patrium micant, H
Lacrymæ cadunt per ora, & aſſiduo genæ
Rore irrigantur, qualiter Tauri iugis
Tepido madeſcunt imbre profuſæ nives.

De Myrrha, patris nefando amore correpta, ſic ſcribit *Ovidius* 10. *Metamorph.*

Noctis erat medium, curaſque & corpora ſomnus
Solverat, at virgo Cinyreia pervigil igne
Carpitur indomito, furioſaque vota retractat,
Et modò deſperat, modò vult tentare, pudetque,
Et cupit, & quid agat non invenit, utque ſecuri
Saucia trabs ingens, ubi plaga noviſſima reſtat,
Quò cadat in dubio eſt, omnique à parte timetur:
Sic animus vario labefactus vulnere nutat
Huc levis, atque illuc, momentaque ſumit utroque.

De Polyphemo Cyclope *Theocritus Idyl.* 11. ſic ſcribit:

—— Ὁ δ' τὰν γαλάτειαν ἀείδων
Αὐτῶ ἐπ' ἀϊόνος κατετάκετο φυκιοέσσας
Ἐξ ἀοῦς, ἔχθιστον ἔχων ὑποκάρδιον ἕλκος
Κύπριδος ἐκ μεγάλας, τό οἱ ἥπατι πᾶξε βέλεμνον.

Cyclops

A Cyclops autem cantu Galateam celebrans, tabeſcebat illic algoſo in litore à ſummo diluculo, graviſſimum habens ſub pectore vulnus à magna Venere, quæ jecur illius telo confixerat. *Clearchus lib. Amat.* 1. odam quandam ſcribit Paſtorale vocatum fuiſſe ab Eriphanide lyrica, quæ cùm Menalcam venatorem amaret, per omnia montana diſcurrens, non homines ſolùm, verùm etiam crudeliſſimas feras ſua miſeria movit. *Athen. lib. 14. cap. 6.*

Didonis reginæ inſanum amorem, *Virgil. 4. Æneid.* graphicè depingit:

—— eſt mollis flamma medullas
Interea, & tacitum vivit ſub pectore vulnus.
Vritur infelix Dido, totaque vagatur
Vrbe furens: qualis conjecta cerva ſagitta,
Quam procul incautam nemora inter Creſſia fixit
Paſtor agens telis, liquitque volatile ferrum
Neſcius: illa fuga ſylvas, ſaltuſque peragrat
Dictæos: hæret lateri lethalis arundo.

BALDERUS Othini magi F. Hotherum Daniæ regem rivalem ſuum bello proſecutus, navali prælio victus, ſed mox victor,
B ex inſano amore, quo Nannam, Gevari filiam, Hothero deſponſatam, deperibat, nocturnis larvarum Nannæ ſpeciem ſimulantium ſpectris agitatus, penè contabuit, ita ut pedibus ampliùs incedere non poſſet. *Saxo lib. 3.*

De Rufo & Nævia *Martialis Epigram. lib. 1.*

Quicquid agit Rufus, nihil eſt niſi Nævia Rufo:
Si gaudet, ſi flet, ſi tacet, hanc loquitur.
Cœnat, propinat, poſcit, negat, innuit, una eſt
Nævia: ſi non ſit Nævia, mutus erit.
Scriberet heſterna patri cùm luce ſalutem,
Nævia lux, inquit, Nævia numen, ave.
Hæc legit & ridet demiſſo Nævia vultu:
Nævia non una eſt, qui vir inepte furis?

SPECIE. QUOAD ASPECTUM.

DIOXIPPUS pugil Olympionices Athenienſis, cùm more pugilum Athenas introiret eques, magnaque hominum multitudo conflueret, atque alius aliundè ſpectandi cupidine penderet: in iis femina forma decentiſſima viſum accurrerat.
C Quam videns Dioxippus, ſubitò pulchritudine victus, indeſinenter fixos in mulierem oculos habuit: converſuſque & vultu in plurimos colores mutato, animadverſus eſt ab omni multitudine, non oſcitanter mulierem adamare. *Ælianus lib. 12. Var. hiſtor.*

Contactum.

Σιφνιάζειν, id eſt, Siphniſſare. Svidas indicat proverbio dici ſolere, pro eo, quod eſt, manum admovere poſtico: ſumptum eſſe à moribus Siphniorum, qui libidinis cauſa id factitare conſueverint. Eſt autem Siphnus inſula quæpiam, haud procul è Creta, cui quondam nomen fuerit Merope, vel hoc nobilis elogio, una è Cycladibus. *Eraſ. in Adagiis.*

L. SYLLA dictator, uxore Metella defuncta, quum gladiatorium munus ederet, ſpectareturque adhuc promiſcuè à viris & feminis, Valeria mulier inſigni facie, Meſſalæ oratoris filia, & Hortenſii ſoror, poſt Syllam tranſiens, manu leniter ejus veſti applicata in ſuas ſedes tranſit. Mulieris audaciam Sylla ſecum miratus, quum intentioribus oculis intueri perſeveraſſet: Nihil, inquit illa, eſt, ò Sylla, cur mihi graviùs ſuccenſeas. Volui
D ego quoque tuæ felicitatis portiunculam ſortiri. Qua mulieris urbanitate delectatus Sylla, oculorum aſpectu captus, ubi, qua familia orta eſſet, ſatis exploratum habuit, eam in matrimonium recepit. *Sab. lib. 3. Enn. 6.*

Denudationem.

CURTIUS auctor eſt, adeò impudicè Babylonios convivari, ut matronæ etiam nobiliſſimæ, abjecto pudore, velamenta corporis frequenti convivio deponant. *Sab. lib. 5. Enn. 4.*

Candaules Lydorum rex, nuda uxore Gygi oſtenſa, ad libidinem utrumque excitavit. *Sab. lib. 3. Enn. 2.*

DIONYSIUS Syracuſanus, abjecta omni modeſtia, mulieres nudas hoſpitibus ſuis contemplandas introducere & offerre ſolebat. *Alex. ab Alex. lib. 5. c. 21.*

Narrat, anum quampiam, cùm nuda libidinari pararet, extinxiſſe lucernam, ne rugæ ſinuſque corporis offenderent, & extinguentem dixiſſe, χαῖρε φίλον φῶς, id eſt, Vale amicum lumen. Quæ quidem verba ſuſpicor hoc magis in vulgi jocum abiiſſe, quòd iiſdem utantur in tragœdiis exituri è vita: velut Polyxena in Hecuba Euripidis; Iphigenia in ſui nominis fabula, Alceſtis & Electra, aliæque complures. Tametſi *Plut. Convivial. quæſt. decade 7. poblem.* 5. indicat dictum à quodam, qui amicæ prodeunti in conſpectum, quum ipſe vino opinor cæcutiret, χαῖρε, inquit, φίλον φῶς. *Eraſm. in Adag.* E

Auguſtus Cæſar convivium libidinoſum xii. deorum celebravit. ☞ *Vide initium hujus Loci. Libidinoſi Imp. Principes, &c.*

DIONYSIUS, Dionyſii filius, totius Siciliæ devaſtator, cùm ad Locrorum urbem accederet, quæ illi erat metropolis (Doris enim, quæ mater illius fuerat, genere fuit Locra) quæ maxima foret in civitate domus, hanc ſerpyllis roſiſque ſternebat: Locrorum virgines accerſebat, nuduſque cum nudis, nulla pudoris ratione habita, ſuper ſtratis volvebatur. *Atheneus lib. 12. cap. 19.*

JULIA, Caracallæ noverca, de induſtria femur nudaverat, Tum ille: O quàm vellem, ſi liceret! Illa ſtatim: Licet verò, modò velis. Ea voce ad inceſtum mulier ſcelerata impuriſſimum hominem permovit. *Spartianus.*

Olfactum.

BERNARDUS Caprera, ipſo odore & tepore lecti Blancæ, reginæ Siculæ, inſtar canis venatici ad luſtrum feræ delectatus eſt, cùm ea (quam media nocte capere ſtuduerat) potiri non poſſet. *Valla lib. 2. Hiſt.* F

Oſculum.

PERICLES Aſpaſiam meretricem mirè dilexit: nam ſive exiret, ſive rediret à foro, ſalutabat ſemper eam oſculo. In comœdiis nova Omphale, & Dejanira, aliis Juno nominabatur. *Plut. in Pericle.*

MANILIUS, quòd uxorem ſuam præſente filia oſculatus eſſet, ſenatu motus eſt à Catone majore. *Fulg. lib. 2. c. 4.*

RODOLPHUS I. Imp. in more habebat, principum uxores vel reluctantes oſculari. *Cuſpinianus.*

Vocem.

Ambraciatarum tyrannus Periander, cum percunctatus eſſet amaſium ſuum: Nondum ne uterum gereret? ille ira inflammatus eum obtruncavit. *Plut. in ſerm. Amat.*

Tradunt, morem Amazonibus fuiſſe quondam, ut pueros maſculos detorta tibia coxave claudos efficerent. Porrò cùm bellum eſſet illis adverſus Scythas, atque illi eas conarentur illicere, ut ad ſeſe deſciſcerent, dicentes futurum, ut poſthac non cũ claudis ac mutilis, ſed cum integris viris rem haberent: Antianira, Amazonum dux, reſpondit: ἄριστα χωλὸς οἰφεῖ. Uſurpavit *Athen. lib. 13.* ὄντως γὰρ ἄριστα χωλὸς οἰφᾷ, id eſt: Verè enim claudus optimè virum agit. Theocritus φιλοίφαν appellat virum coitus avidum, Heſychius φίλοιφον dicit. *Eraſm. in Adagiis.* G

Romæ annis ſingulis ludi ſcenici erant Megaleſia, in quibus Hiſtriones ad novum opus egredientes, mira laſcivia ſpurciſſima & turpiſſima quæque in matrem deum, & Atym dictitabant: tum & alii per id temporis etiam honeſtiſſ. Romanorum cultu diſſimulato, ut noſci non poſſent, licentioſiſſimè per urbem vagabantur, nullis verbis factiſque fœdis parcentes. *Herodianus in Commodo.*

In C. Caligulam conſpiraverant potentiſſimi liberti præfectique prætorii. Cumque placuiſſet Platinis ludis ſpectaculo egreſſum meridiè aggredi, primas ſibi partes Caſſius Chærea, Tribunus cohortis prætoriæ, depopoſcit: quem Cajus ſeniorem jam ut mollem & effœminatum denotare omni probro conſuerat: & modò ſignum petenti, Priapum, aut Venerem dare: modò ex aliqua cauſa agenti gratias, oſculandam manum offerre formatam commotamque in obſcenum modum. *Svet. & Joſephus.* H

Converſationem inhoneſtam, ridiculam.

CYBELEN Menois vetuſtiſſ. Phrygiæ regis F. *Diod. lib. 4.* ſcribit à patre expoſitam in monte Cybelio, à paſtore educatam, cùm adoleviſſet, juvenem amaſſe terræ illius, nomine Atym, ex eoque gravidam, à Menoe patre, qui famam de virtute factiſque ejus acceperat, revocatam pro virgine: cujus flagitio cognito, Atym & nutrices juſſu regis affectos eſſe ſupplicio: Cybelem amore incenſam ex deſiderio Atys inſaniiſſe, domoque paterna egreſſam ſolam cum fiſtula & tympano, paſſis crinibus totam regionem peragraſſe dementatam, veniſſeque in Nyſam ad Dionyſium: aliquot verò annis poſt eam jam mortuam, cùm & difficultate annonæ, & morbo in Phrygia laboraretur, oraculo juſſos eſſe Phryges Atym & Cybelem venerari: hinc ſacra cæremoniaſque magnæ Matris deum ortas. *Diod. l. 4.*

SARDANAPALUS inter pellices muliebri habitu fila duxit. *Diodorus.*

HERCULEM Omphalæ reginæ Lydorum ſerviiſſe, notum eſt. De eo *Seneca in Hippolyto, actu primo:*

Natus